



















ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
LAW
SCHOOL

Nachricht

von dem

Königl. Joachimsthalschen Gymnasium

(Michaelis 1849 bis dahin 1850).

Vorausgeschickt ist:

Eine Abhandlung des Adjuncten Dr. Carl Franke:

De praefectura Vrbis capita duo.



Berlin.

Gedruckt in der Druckerei der Königlichen Akademie der Wissenschaften.

1850.



DE PRAEFECTVRA VRBIS

CAPITA DVO.

SCRIPSIT

CAROLVS FRANKE.

De Praefectura Vrbis scripturus non vereor ne venia mihi lectorum atque excusatio petenda sit propterea quod et vilem et tritam commentandi materiam elegerim. Nam si pretium et honos ei argumento est, quod a re magna et gravi aut naturae aut historiae petitur, profecto gravitas meae non magis deest caussae quam defuit olim praefectis Vrbi. Hi vero, sive munus respicis solum, honorificum quondam in republica Romana summumque sub imperatoribus gradum obtinuerunt, sive muneris dignitatem ponderas ex antiquitate, nomen praefecturae urbanae ab ipsis Vrbis incrementis usque ad occasum cognitum auditumque fuit. Sed haud scio an iure eam ob caussam in reprehensionem incurram aliorum, si qui fuerint qui non manus solum sed oculos etiam his chartis perituris admoveant, quod et acta egisse videar, nec nova multa et antea inaudita protulerim, nec sperare possim fore ut vel rerum copia atque delectu vel ipso disquirendi modo alliciam legentium animos. Ego vero quum in tanto rerum antiquarum explicandarum studio, quo nostra aetas merito gloriatur, nondum a quoquam de variis magistratus cui praefecturae urbis nomen erat generibus plene accurateque expositum intelligerem, ut non solum plus iusto obscurata eius memoria videatur esse verum etiam errores hic illic divulgentur, operae pretium me facturum arbitrabar, si scribendi materia plene quoad eius fieri posset collecta clareque digesta in una veluti area de triplici illo magistratu denuo disquirerem rerumque capita proponerem ita, ut quae diversorum munerum fuerint origo, officia, honores, quae vicissitudines et permutationes, facile posset perspici. At maiora ausus eram quam quae vel exiguo quod ad scribendum concessum fuit spatio coartari possent vel quibus vires meae essent suppares. Subsistendum erat in iis quae de vicaria illa potestate veteris Romae et de Praefecto Feriarum dicenda viderentur, reiecta uberiore de magistratu ordinario disquisitione, quae largam praebet disputandi materiam eamque dignam quam quis rerum antiquarum et iuris scientia satis munitus explicandam suscipiat. Interim haec paucula qualiacunque sunt ut aequi bonique consulant lecturi, optamus vehementer et rogamus.

Qui superioribus saeculis hoc argumentum tractarunt (¹), magis illi pro more doctrinae istius aetatis rebus diligenter congerendis quam iudicando intenti, neque

(¹) Alexander ab Alexandro in Genial. dier. libr. 6, cap. 20 (Lugdun. Batav. 1673 vol. II, p. 664-672), Io. Rosinus in antiquitt. lib. 7, cap. 14. pag. 1126 (Colon. Agripp. 1662), fusius Fran-

multum conferunt ad cognitionem rei consequendam neque satis ubique caverunt errores. Omninoque inconditas istas et indigestas moles, in quibus rerum antiquarum explicatio et Graeciae et Latii continetur, — magna illa maiorum nostrorum assiduitatis documenta — eo magis paullatim in bibliothecarum umbram abditum iri confido et pulverem, quo splendidiore in diem luce tota antiquitatis scientia tot operariorum laboribus et concertationibus affunditur et quo magis arte critica a sordibus et situ liberati veteres scriptores prodeunt. Proximo saeculo Arnoldus Drackenborchius, Livii Siliique editor notissimus, de praefectura urbana singularem scripsit libellum, quem studiis academicis finem impositurus pridie Non. Iun. a. 1704 sub Petri Burmanni praesidio Traiecti ad Rhenum palam defendit. Quae dissertatio iterum edita Traiecti ad Viadrum a. 1752, tum a Io. Christ. Kappio a. 1787, sola fere ea omnia continet, quae ad varias munerum rationes explicandas pertinent. Indicem praefectorum dedit ab Almeloveen: Fastor. Romanorum consularium libri II (ed. II. Amstelodam. 1740) p. 477-512. Singularem diligentiam ad totum hunc locum explicandum adhibuit Eduardus Corsini in libro primario: *„de Praefectis Vrbis sive series praef. urbi"* Pisis a. 1766 edito; in eodemque argumento elaboravit Cardinali, intorno la serie dei Prefetti di Roma, Velletri 1836, quod opus nondum ad manus meas pervenit. Nostratium recentiore aetate de his magistratibus tum fusius tum brevius egerunt in operibus suis Niebuhrius Röm. Gesch. vol. II, p. 126 sq., Ferdinandus Walterus Geschichte des röm. Rechts, Bonn 1840 p. 24. 79. 98. 169. 293. 372, Göttlingius Geschichte der röm. Staatsverfassung, Halle 1840, p. 165. 270. 496, J. Rubino Untersuchungen über röm. Verfassung u. Geschichte, Cassel 1839, p. 299-303, G. Adolph. Beckerus Handbuch der röm. Alterthümer vol. II, sect. II (Lps. 1846) p. 146-150, coll. sect. I (Lps. 1844) p. 338. 360, alii denique alibi in compendiis.

Tria praefecturae urbanae genera sunt eaque nomine tantum inter se cognata, re ipsa autem distantia et maximam partem diversa. Aliud enim fuit munus, quod sub regum atque consulum imperio in usu erat, alia Praefectura Feriarum latinarum, alia denique ratio magistratus ordinarii sub imperatoribus, quem primus instituit Augustus. De unoquoque horum separatim agendum erit. Antequam autem ad rem ipsam accedamus, videndum primum de nomine. Qui igitur Praefecturae uno alterove munere fungebatur magistratus, is dicebatur a Romanis praefectus urbis vel praef. urbi. Nam utrumque et in scriptoribus et in marmoribus invenitur, ita tamen, ut in his tertii casus forma, in scriptoribus genitivi crebrior sit. Cf. Orelli inscriptt. coll. vol. I. p. 70, nr. 14, vol. II. nr. 3159. 3160. 3161: urbi, nr. 3153: Pr.

ciscus Hotomannus de magistratibus Romanorum in Graevii thes. vol. 2. (1694) p. 1872, Pitiscus in lexico antiquitt. roman. (Leovardae 1713) vol. 2. p. 504. 505, quattuor viri docti in Sallengrii novo thesauro antiquitt. rom. (Hagae Comitum 1719) vol. 3, p. 953 sq., 990 sq., 1076 sq., 1124 sq, alii denique alibi.

urbi Feriar. Lat. — Vrbis habes vol. I. nr. 2 et vol. II. no. 3166. Neque vero his lapidibus multum tribuerim, quum praeter 3153, qui ad priorem partem saec. secundi referendus, reliqui omnes saeculi quarti et quinti sint. Primi et secundi saeculi sunt quas Corsini attulit inscriptiones. In his igitur urbi est p 31. 57. 58. 59. 79 alibi, urbis p. 61. 89. Sed quum apud scriptores quoque scribendi ratio fluctuet, merito evincas non satis sibi loquendi usum constitisse videri. Qui autem accuratius in hanc rem inquirat, non iniuria hoc inter utrumque dicendi modum discrimen esse statuerit, ut magistratum ordinarium existimet praefectum urbis et debuisse dici et dictum esse, utrumque autem temporarium illum et in unumquodque tempus veluti recens partum praef. urbi. Quum enim nondum ordinarius magistratus esset praef. urbis, fieri potuit ut nec muneris nec eius qui eo fungeretur certum nomen extiterit. Praeficiebatur aliquis urbi, ubi res exigeret, isque dicebatur praefectus urbi. Pari modo Caesar quum a. 708 praeter alios insolitos honores etiam praecipuam censurae partem sub tenui nomine praefecturae morum recepisset ([2]), a Cicerone dicitur praefectus moribus ad famil. 9, 15: *„Quid ergo est? tamen quamdiu hic erit noster praefectus moribus, parebo auctoritati tuae."* Recteque eum, cui inter ferias latinas in paucos dies cura urbis demandata erat, urbi praefectum nuncupari arbitror, prout scriptum est de Nerone apud Suet. 7: *„Auspicatus est et iurisdictionem Praefectus Vrbi sacro Latinarum"* et in Orell. inscr. 3153. Ita Augustus quoque in epistola ad Liviam de Claudio scribit: *„In Albanum montem ire eum non placet nobis, aut esse Romae Latinarum diebus. Cur enim non praeficitur Vrbi, si potest fratrem suum sequi in montem?"* Stati autem et perpetui muneris certum et constans est nomen, simulque ii qui eo funguntur certo quem usus sanxit titulo insigniuntur. Late patuit, maxime sub imperatoribus, quum nova munera prioribus accederent, praefecti nomen. Quemadmodum igitur non temporariam sed fixam et certis finibus circumscriptam provinciam suscipiunt, qui dicuntur praefecti aerarii, alarum, castrorum, classis, fabrum, legionis, turmarum, vigilum, praepositi sacri cubiculi: ita eos qui ordinario et perpetuo custodiae urbanae munere fungerentur consentaneum est dictos esse praefectos urbis. Neque in tam constanti fere dicendi usu morabitur quemquam, quod in uno illo magistratu, qui dicebatur praefectus praetorio, rarius praetorii (Tac. ann. 1, 24), ad alium morem deflexerit lingua — nam praef. aerario apud Gell. 13, 24, 30 abhorret a vulgari usu — siquidem id quod statui discrimen etiam scriptorum auctoritate confirmari videtur. Sane Livius ubicumque extraordinarii illius magistratus vetustioris temporis meminit, eum praefectum urbis non urbi vocavit, et uno tantum loco (3, 29: *„Romae a Q. Fabio praefecto urbis senatus habitus — iussit)* cod. Palat. sec. praebet dativi formam, tamen ut hic quoque scriptura reliquorum codd. qui urbis servant

([2]) Suet. Caes. 76. Drumann Gesch. Rom's III, p. 609. ann. 87 et p. 662 ann. 4.

praeferenda sit, quum ultima vocis litera prima sequentis absorpta esse possit. At si qua fides non tam narrationi Gellii quam editionibus quales nunc prostant, et apud Varronem, cui in his plurimum tribuas, teste Gellio 14, 7, 4 et apud Iunium Gracchanum (Gell. 14, 8) scriptum erat praefectus urbi, quod quum in universum melius loquendi genus dicat Beckerus II, 2 p. 146, ex eis quae hucusque disputata sunt minus cum recte ita iudicasse iam liquere arbitror. Ordinarius autem magistratus a Tacito, qui primus audiendus, aliisque scriptoribus (v. Senec. ep. 83. Plin. h. n. 11, 90. Gell. 11, 7) vocatur praef. urbis. V. annal. 14, 41. 42. hist. 1, 14. 2, 55. 63. 3, 64. Uno tantum Taciti loco (6, 10), quo L. Pisonis mentio fit, qui primus fuit, a quo deinceps perpetua esset praefectorum urbis series, significanter sive scriptum antiquitus sive editum a criticis est: *„quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit."* Ita Tacitus ann. 1, 20 Aufidienum Rufum castris praefectum scribit diversos quos ille deinceps subierit militiae gradus enumerans, cui paullo ante solitum titulum tribuerat praefecti castrorum: *„Praecipua in Aufidienum Rufum praefectum castrorum ira —. Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus, antiquam duramque militiam revocabat."* Quodsi omnia quae allata sunt comprehendimus, diversa quae e diversa munerum natura fluxerint nomina apparet aliquatenus certe veterum auctoritate stabilita esse. Quamquam non negaverim et fieri potuisse et factum esse, ut non solum vulgaris hominum sermo sed etiam scriptores non eadem semper dicendi ratione usi sint. Ita Gell. 13, 17, ut hoc afferam, praefectum urbi vocat ordinarium magistratum. Maximeque qui sub imperatoribus feriarum latinarum caussa eligebantur praefectos probabile est etiam ordinarii magistratus nomine, quod in omnium aure et ore erat, interdum insignitos esse, ut fecit Tac. annal. 4, 36: *„Feriarum Latinarum diebus praefectum urbis Drusum,"* quamquam et hic in cod. Ursini tertius casus est. Cf. Walther ad h. l. et ad ann. 6, 10.

Custodem urbis nuncupatum esse, qui sub regum et consulum imperio praefuerit urbi, ter tradit Lydus eiusque testimonio confisi Niebuhrius h. r. II, p 135 et Walter. h. iur. rom. p. 24. 79. 98 hoc nomen antiquissimum iudicarunt esse, recentius praefecti urbi. V. de mens. 1, 19 (p. 10. ed. Bekk.): εἶτα προεστήσατο τὸν τῆς πόλεως φύλακα [Νουμᾶς]· ὕπαρχον δὲ αὐτὸν νῦν προσαγορεύομεν ἢ ἀστυδίκην, ὃν πάλαι πραίτωρα οὐρβανὸν ἔλεγον, ὃς καὶ πρωτεύειν τῆς Ῥωμαίων γερουσίας φαίνεται — de magistr. 1, 38 (ed. Bekk. p. 150): καὶ οἱ μὲν ὕπατοι διώκουν τοὺς πολεμους, ὁ δὲ δῆμος ἐστρατεύετο, ὅ γε μὴν ὕπαρχος τὴν πόλιν ἐφύλαττε, custos urbis προσαγορευόμενος, ὡσανεὶ φύλαξ τῆς πόλεως — de magistr. 1, 34: αὐτοὶ δὲ στέλλουσιν (ἡ ἱστορία φησίν) sc. decemviri εἰς Ἀθήνας Σπούριον Ποστούμιον, Αὖλον Μάρκιον καὶ Πούπλιον Σουλπίκιον· τῶν δὲ ἐπὶ τριετῆ χρόνον ἐκεῖ βραδυνόντων, ἕως καὶ τοὺς λειπομένους Ἀθηναίων νόμους ταῖς δέκα δέλτοις ἀναλάβωσι, δέκα προεβάλετο ὁ δῆμος ἄνδρας ἀνθεξομένους τῶν πραγμάτων, ὧν ὁ πρῶτος τῆς πόλεως φύλαξ προσηγορεύθη, ὁ καθ' ἡμᾶς πολίαρχος. At nemini non

permirum esse potest, quod neque apud latinos neque apud graecos scriptores optimae notae huius tituli mentio facta. Apud Livium quidem 6, 6 Camillus, tribunus militum consulari potestate a. 369, collegam, qui praefectus urbi fuit, ita alloquitur: „*Te, Ser. Corneli, praesidem huius publici consilii, custodem religionum, comitiorum, legum, rerum omnium urbanarum, collegae facimus*" Cf. Nieb. h. r. II, p. 442. ann. 864. Haec vero et si qua similia leguntur generaliter dicta sunt neque documento esse possunt, custodis nomen fuisse statum publiceque receptum. Ita Augustus in Cenotaph. Pisan. (Orell. inscr. I, 643) „*custos imperi Romani totiusque orbis Terrarum praeses*" audit et apud Sil. Ital. Pun. 12, 63 in universum qui urbi praesidio est dicitur custos urbi: „*Sed custos urbi Gracchus, tutela vel ipsis Certior arcebat*" cet. Quare qui perpenderit, quam sublesta Lydi fides sit universa, quippe qui vera ficta credibilia incredibilia sine ullo iudicio temere congesserit saepe et conglutinaverit, cavebit ne iusto cupidius eius verbis credat, quin etiam hac in re minus accurate eum versatum esse atque errasse existimabit. Atque in promptu est videre unde fluxerit error. Transtulit rariorem loquendi usum posteriorum temporum ad antiquitatem. Etenim a praecipua officiorum quae munus iniunxit parte qui id subierunt hic illic etiam custodes urbis dicebantur, maximeque Augusti Tiberiique aetate iis quibus primum vetere more instaurato urbis tuendae cura absente imperatore demandata erat, aptum accommodatumque hoc nomen erat. Sed proximis quoque temporibus in usu fuisse videtur. Ita igitur Vellei. Paterc. 2, 88 Vrbis custodiis praepositum Caium Maecenatem scribit, ipseque Maecenas, cuius „*civiles super Vrbe curae*" (Horat. od. 3, 8, 17) notae sunt omnibus, custos Vrbis dicitur in (Pedonis Albinovani) elegia de obitu Maecen. (Poet. lat. minor. c. Wernsdorf. vol. III. p. 159) v. 27:

> Num minus Vrbis eras custos et Caesaris obses?
> Num tibi non tutas fecit in Vrbe vias?

et vigil Vrbis ibid. v. 14:

> Regis eras genus Etrusci: tu Caesaris almi
> Dextera, Romanae tu vigil Vrbis eras.

Ita Seneca epist. 83 scribit: „*L. Piso, Vrbis custos, ebrius ex quo semel factus est fuit: maiorem partem noctis in convivio exigebat. usque in horam fere sextam dormiebat: hoc eius erat matutinum. Officium tamen suum quo tutela urbis continebatur diligentissime administravit. Huic et divus Augustus dedit secreta mandata, quum illum praeponeret Thraciae, quam perdomuit, et Tiberius proficiscens in Campaniam, quum multa in Vrbe et suspecta relinqueret et invisa. Puto, quia bene cesserat illi* (sc. Tiberio) *Pisonis ebrietas, postea Cossum fecit Vrbis praefectum, virum gravem, moderatum, sed mersum et vino madentem, adeo ut ex senatu aliquando in quem e convivio venerat oppressus inexcitabili somno tolleretur.*" Simili ratione eundem L. Pisonem, Vrbis Romae curae delectum, ut ait

Plin. h. n. 14, 28, commemorat Vellei. Pat. 2, 98: „*Dum ea, quae praediximus, in Pannonia Germaniaque geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma accensis, Lucii Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem habemus, virtus compressit.*" Porro a Iuvenale Rutilius Gallicus vocatur custos urbis in Sat. 13, 157:

Haec quota pars scelerum, quae custos Gallicus urbis
Vsque a Lucifero, donec lux occidat, audit?

ubi non audiendus scholiasta, qui ita nugatur: „*nomen praefecti vigilum* (¹), *qui institutus est postquam Galli Capitolium ceperunt.*" Intelligendus Gallicus ille, cui Statius recuperatam valetudinem gratulatur libello qui est Silvarum voluminis primi quartus. Fuit sub Domitiano praefectus urbi, sexagenarius fere, quo tempore Statius Soteria composuit, ut docent vs. 52 sq.:

— — non illud culpa senectae
(Quippe ea bissenis vixdum orsa excedere lustris)
Sed labor intendens, animique in membra vigentis
Imperium, vigilesque suo pro Caesare curae,
Dulce opus;

iam defunctus autem quum librum Silvarum primum auctor a. 92 ut videtur ederet;

(¹) Fraudi fuit insipienti interpreti Gallici nomen. Nam Augustus primus „*adversus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est*" ut ait Suet. c. 30, ita quidem ut binas urbis regiones septem cohortibus ab igne defendendas committeret et singulis Tribunos, omnibus fere Praefectum vigilum ex ordine equestri electum praeponeret. Dio Cass. 55, 26: *ἐπειδή τε ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ* [i. e. 759 a. u. 6 p. Ch. cll. c. 25] *πολλὰ τῆς πόλεως πυρὶ διεφθάρη, ἄνδρας τε ἐξελευθέρους ἑπταχῇ πρὸς τὰς ἐπικουρίας αὐτῆς κατελέξατο, καὶ ἄρχοντα ἱππέα αὐτοῖς προσέταξεν, ὡς καὶ δι' ὀλίγου σφᾶς διαλύσων· οὐ μέντοι καὶ ἐποίησε τοῦτο. καταμαθὼν γὰρ ἐκ τῆς πείρας καὶ χρησιμωτάτην καὶ ἀναγκαιοτάτην τὴν παρ' αὐτῶν βοήθειαν οὖσαν ἐτήρησεν αὐτούς· καὶ εἰσὶ καὶ νῦν οἱ νυκτοφύλακες οὗτοι ἴδιόν τινα τρόπον οὐκ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων ἔτι μόνον ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἄλλων στρατευόμενοι· καὶ τείχη τε ἐν τῇ πόλει ἔχουσι καὶ μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φέρουσιν.* Strab. 5, 3 p. 235: *ἐπεμελήθη μὲν οὖν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ τῶν τοιούτων ἐλαττωμάτων τῆς πόλεως πρὸς μὲν τὰς ἐμπρήσεις συντάξας στρατιωτικὸν ἐκ τῶν ἀπελευθέρων τὸ βοηθῆσον.* Hi vigiles non solum incendiorum reprimendorum curam habebant posterioribus temporibus sed etiam securitatis publicae universae erant ministri, eorumque praefectus videtur custos urbis dictus esse, quod et ipsum in caussa fuit, ut Iuvenalis scholiasta hoc quoque nomine deciperetur. Cf. Cassiodor. Var. 7, 7 (Formula praefecti vigilum urbis Romae): „*Mediocrem dignitatem regis et in summa opinione versaris. Custos Romanae civitatis diceris, quando eam ab intestino hoste defendis. Quapropter circa fures sollicitus esto; quos etsi tibi leges punire minime praecipiunt: tamen eos indagandi licentiam contulerunt, credo, ut quamvis essent raptores detestabiles, tamen, quia dicebantur Romani, maiori eos subderent dignitati. Utere igitur per indictionem illam Praefecturae Vigilum dignitate. — Eris securitas soporantium, munimen domorum, tutela claustrorum, discussor obscurus, arbiter silentiosus, cui fallere insidiantes fas est et decipere gloria. Actus tuus venatio nocturna est, quae miro modo si non cernitur, tunc timetur.*" — Diu in existimatione fuit, donec posterioribus saeculis, quum fures cum eo conspirarent, fere pro infami habitus est. Quare Iustinianus pro eo Praetorem plebis creavit, ut narrat Pancirolli in comment. ad notit. utramque dignitatum (Venet. 1602) p. 120.

nam in praef. sic scripsit: „*Sequitur libellus Rutilio Gallico Valenti dedicatus: de quo nihil dico, ne videar defuncti testis occasione mentiri.*" Convaluerat ex morbo brevi post quam ludi saeculares Romae a Domitiano a. 88 editi sunt (v. Suet. Domit. 4. Tac. 11, 11. Censor. d. n. 17), ut efficitur v. 15 sq.:

> Quippe manet, longumque aevo redeunte manebit,
> Quem penes intrepidae mitis custodia Romae.
> Nec tantum induerint fatis nova saecula crimen,
> Aut instaurati peccaverit ara Terenti.

Merito igitur Gallici praefecturam in eos annos qui hunc proxime praecedunt incidisse dicas. Ac Corsinius quidem a. 85 eam adscripsit p. 48. Sed ut redeam in viam, qui proxima aetate ante Gallicum sub Vespasiano et Domitiano urbi praepositus erat Pegasus a Iuvenale Sat. 4, 77 dicitur villicus urbi attonitae positus:

> — primus, clamante Liburno,
> Currite, iam sedit, rapta properabat abolla
> Pegasus, attonitae positus modo villicus urbi.
> Anne aliud tunc Praefecti? quorum optimus atque
> Interpres legum sanctissimus, omnia quamquam
> Temporibus diris tractanda putabat inermi
> Iustitia,

salse et graviter, ut Romam veluti villam privati cuiusdam dominationi subiectam, praefectos autem male sedulos officiososque ministros principis significaret, quum iam, ut ait v. 37:

> Quum iam semianimum laceraret Flavius orbem
> Vltimus et calvo serviret Roma Neroni.

Similiter Tac. ann. 15, 37 de Nerone tradit: „*Ipse, quo fidem acquireret nihil usquam perinde laetum sibi, publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti.*" Quare cum Iuvenalis loco non potest comparari, quod M. Tullius Planc. 25 dicit: „*populus Romanus deligit magistratus quasi reipublicae villicos.*"— Postremo simplici praefecti nomine interdum qui hoc munere funguntur insigniuntur, ut fecit Rutil. Claud. Namatianus de reditu suo 1, 160:

> Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum
> Non sit praefecti gloria sed populi.

Graece dicitur *ἔπαρχος* (Dionys. Hal. ant. rom. 6, 2), *τῆς πόλεως ἔπαρχος* (Dion. H. 10, 24), *ἐπὶ τῆς πόλεως ἔπαρχος* (Dion. 10, 23) antiquissimi temporis praefectus, idemque nomen magistratus ordinarii est apud Gruter. inscr. pag. 406, num. 10: Λ ΦΑΒΙΟΝ ΧΕΙΛΩΝΑ ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ ΕΠΑΡΧΟΝ ΡΩΜΗΣ-ΑΝΚΤΡΑ. v. Corsini p. 106. et in Herodiani histor. rom. libris, veluti 2, 2. Praeterea vocatur *πολίαρχος* (Dio Cass. 52, 21 alibi; Lyd. de mens. 1, 19. de magistr. 1, 34, etiam praef. fer. lat.: Dio 43, 48. 49, 16), *πολιανόμος* (Dio 43, 28), *ὕπαρχος πόλεως* (Zosim. 4, 45 ed.

Bekker. p. 229. 4, 52 p. 236 τὰς ὑπάρχους ἔχοντες ἐξουσίας, ὁ μὲν τῆς αὐλῆς ὁ δὲ τῆς πόλεως, Lyd. l. l. et de magistr. 1, 38), ἀστυδίκης (Lyd. de mens. 1, 19).

CAP. I.

De praefectura Vrbis quae sub regibus et consulibus in usu fuit.

Praefecturae urbanae originem investigaturi ad antiquissima tempora et ad ipsa imperii Romani primordia a duobus gravissimae auctoritatis scriptoribus relegamur. Quorum alter Tacitus annal. 6, 11: „*profectis domo regibus*, inquit, *ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet ac subitis mederetur; feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impositos.*" Alter huius rei testis Dionys. Hal. antiq. rom. 2, 12: Ὁ δὲ Ῥωμύλος ἐπειδὴ ταῦτα διεκόσμησε, βουλευτὰς εὐθὺς ἔγνω καταστήσασθαι, μεθ' ὧν πράττειν τὰ κοινὰ ἔμελλεν, ἐκ τῶν πατρικίων ἄνδρας ἑκατὸν ἐπιλεξάμενος· ἐποιεῖτο δὲ αὐτῶν τοιάνδε τὴν διαίρεσιν· αὐτὸς μὲν ἐξ ἁπάντων ἕνα τὸν ἄριστον ἀπέδειξεν, ᾧ τὰς κατὰ πόλιν ᾤετο δεῖν ἐπιτρέπειν οἰκονομίας, ὅτε αὐτὸς ἐξάγοι στρατιὰν ὑπερόριον. Romulus igitur vicariam hanc imperii potestatem instituit. Qui quum senatum couderet, etiam hoc providit, ut, dum ipse abesset, urbis cura senatorum ei, cui primas detulisset, demandaretur. Senatus principi etiam Lydus de mens. 1, 19 (v. p. 4) hoc munus tribuit, in eo tamen falsus, quod a Numa institutum dicit, parum curans quam hoc non conveniat regi pacis quam belli studiosiori, cui, quod otii pacisque diuturnitate non aberat Roma, nec praefectis opus erat ([4]).

([4]) Qui error oriri potuit Numae Marcii, urbis praefecti sub Tullo Hostilio, nomine et munere, quae obiter lecta ad Numam regem transtulit scriptor ita, ut hunc novae qua ille fungeretur potestatis auctorem diceret. Fortasse tamen et ipse de Romulo cogitavit vel etiam in libris quibus utebatur hunc commemoratum invenit. Probaturus enim, praefecto primas fuisse partes in senatu pergit, hoc ex eius calceamentis posse cognosci, in quibus lunula ad literae C formam quae centenarium significet numerum expressa probet, primum eum fuisse centum patriciorum, tot enim a Romulo electos esse. Lyd. de mens. 1, 19: ὃς καὶ πρωτεύειν τῆς Ῥωμαίων γερουσίας φαίνεται· καὶ τοῦτο δῆλον ἐκ τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ, ἐν οἷς σεληνίσκος τις ἐκτετύπωται εἰς τύπον τοῦ σίγμα στοιχείου, δι' οὗ τὸν ἑκατὸν ἀριθμὸν οἱ Ῥωμαῖοι σημειοῦνται (ἔστι γὰρ παρ' αὐτοῖς τὸ λεγόμενον κάππα μικρόν)· ὡς δῆλον εἶναι πρῶτον αὐτὸν ἑκατὸν εὐπατριδῶν· τοσούτους γὰρ ὁ Ῥωμύλος ἐξελέξατο· Solus quod sciam Lydus lunulam unius principis senatus calceo adsutam narrat, quod commune omnium senatorum ornamentum (Iuven. Sat. 7, 191 Schol.; Martial. 2, 29), fuit, quin etiam Plutarcho teste (quaest. Rom. 76) omnium eorum qui nobilitate generis aliis praestare viderentur. Nec liquet quo iure hoc affirmaverit. At sive negligenter scripsit sive temporis iniuria corruptus est locus, rei argumento quod affert hoc certe efficias, de Romuli aetate loquutum esse scriptorem. Nam si de Numa egisset, addidisset opinor extremis verbis τὸ πάλαι vel tale quid, quo significaret, ab eo numero quem antiquitus Romulus senatorum esse voluisset, desumptum esse signum. Iam Romulo enim regnante pace cum Sabinorum rege Tatio facta senatorum numerus auctus credebatur, quod praeter Livium testantur reliqui scriptores omnes (v. Becker II, 1. p. 343. not. 67);

Postremo Pomponius in Digest. I. tit. 2 §. 33 scribit: „*Et haec omnia, quotiens in republica sunt magistratus, observantur: quotiens autem proficiscuntur, unus relinquitur* (5), *qui ius dicat: is vocatur Praefectus urbi: qui Praefectus olim constituebatur* (6) *postea fere Latinarum feriarum caussa introductus est et quotannis observatur: nam Praefectus annonae et vigilum non sunt magistratus: sed extra ordinem utilitatis caussa constituti sunt: et tamen hi, quos Cistiberes diximus, postea Aediles senatusconsulto creabantur.*"

Haec igitur quae traduntur si perpendimus, veteres ita de toto hoc loco iudicasse existimabimus. Nam hoc in rebus Romanis antiquissimae memoriae explicandis cavendum, ne in tantis quibus obrutae viae sunt tenebris nimis nobis cernere videamur, tenendumque, saepius quaerendo non tam inveniri, quae qualesque hae illaeve res fuerint re vera, quam quales visae sint scriptoribus. Credebatur igitur Praefectura fere una cum senatu ab urbis conditore instituta esse, ne quoties abesset rex aut imperio careret urbs aut intermitteretur iurisdictio. Consilium viribus paraturus, ut est apud Liv. 1, 8, centum creavit Romulus senatores, eorumque uni, quem principem senatus esse vellet, si qua Dionysio fides, curam urbis demandavit. Sane reliqua, quae Dionysius loco illo multum laudato (7) narrat, ternos viros a tribubus, totidem ab unaquaque curia, unum a rege eumque concilii praesidem electos esse, abhorrent a communi omnium fere scriptorum sententia, imprudenterque ficta esse apparet ab iis, qui centenarium senatorum numerum tribuum curiarumque numero respondisse probatum irent, parum illi memores, quo tempore nondum Tities et Luceres additi essent Ramnensibus, eo nec tres tribus nec triginta curias fuisse. Omninoque haec apud veteres valuit sententia meritoque etiam hodie placet

---

cuius rei ne Lydus quidem ignarus fuit, ut colligas loco parum sane diserto de magistr. 1, 16: Δῆλον ἀντικρὺς ἑκατὸν τὸν ἀριθμὸν γέροντας ἐκ πασῶν τῶν κουριῶν (ἀντὶ τοῦ φυλῶν) ἐπιλέξασθαι τὸν Ῥωμύλον πρὸς διάσκεψιν τῶν κοινῶν, οὓς αὐτὸς μὲν πατέρας Ἰταλοὶ δὲ πατρικίους ἐκάλεσαν ἀντὶ τοῦ εὐπατρίδας· μετὰ δὲ τὴν ἁρπαγὴν τῶν Σαβίνων conscriptos αὐτοὺς ἐπονομάσας οἱονεὶ συγγεγραμμένους, ὅθεν patres conscripti οἱ Ῥωμαίων ἄρχοντες ἔτι καὶ νῦν χρηματίζουσι. Alterum relinquitur. Potuit fieri ut vel Numae temporibus centum tantum senatores fuisse crediderit. Tum vero quidni simpliciter scripserit: τοσοῦτος γὰρ ὁ τῶν εὐπατριδῶν ἀριθμός. At plana et aperta omnia, si de Romuli aetate dicta accipias, qua praefectus urbi institutus et insigni illo condecoratus sit.

(5) Relinquendi verbum (καταλείπειν apud Dionys.) sollemne dicit in his rebus publiceque receptum Rubino p. 300, ann. 3.

(6) Intercidisse videntur aliquot verba, quibus expressum fuit regibus profectis Praefectum olim constitutum fuisse.

(7) Dionys. 2, 12: τῶν δὲ φυλῶν ἑκάστῃ προςέταξε τρεῖς ἄνδρας ἑλέσθαι τοὺς ἐν τῇ φρονιμωτάτῃ τότε ὄντας ἡλικίᾳ καὶ δι' εὐγένειαν ἐπιφανεῖς. μετὰ δὲ τοὺς ἐννέα τούτους ἑκάστῃ φράτρᾳ πάλιν ἐκέλευσε τρεῖς πατρικίων ἐπιλέξαι τοὺς ἐπιτηδειοτάτους· ἔπειτα τοῖς πρώτοις ἐννέα τοῖς ὑπὸ τῶν φυλῶν ἀποδειχθεῖσι τοὺς ἐνενήκοντα προςθείς, οὓς αἱ φράτραι προεχειρίσαντο, καὶ τούτων ὃν αὐτὸς προέκρινεν ἡγεμόνα ποιήσας τὸν τῶν ἑκατὸν ἐξεπλήρωσε βουλευτῶν ἀριθμόν.

plurimis, penes quos harum rerum iudicium est (8), senatores ad unum omnes lectos esse a regibus, nec cogitandos esse veluti curiarum delegatos, qui communem harum caussam egerint ingravescentique regum potestati adversarii commoda et iura defenderint populi (9). At in eo certe fidem meretur Dionysius, quod principem senatus a reliquis distinguit et hunc potissimum electum scribit, qui absentis regis vices tueretur. Qui igitur regis arbitrio senatus praeses declaratus erat, is praefecti quoque munus una subierat et per vitam quotiescunque abesset rex eo fungebatur. Ex patriciorum numero eum desumptum fuisse per se apparet. Tria acceperat nomina Tacitus eorum, qui sub regum imperio hoc munere ornati fuissent. Non fallimur opinor, si plures praefectos fuisse ipsumque munus multo saepius administratum esse statuimus quam eius mentio facta a scriptoribus. Intercidit memoria eorum, qui propter breve officii suscepti spatium rerumque gestarum tenuitatem mox in oblivionem vel aequalium venirent. Quando praecipua praefectorum cura ea erat, ut ius dicerent, neque gravioribus urbis periculis occurrendum erat, quid mirum, si talium nomina et munera cum vita extinguerentur.

Iam vero quum praefectus urbi regis vicarius fuerit, qui ad tempus plenam potestatem regiam teneret, quaerendum videtur, num forte etiam post regis mortem rerum potitus sit subieritque interregis munus. Quod quis eo facilius sibi persuadeat credibile esse, quum Lucretius, praefectus a Tarquinio Superbo institutus (10), post exactos reges primos consules comitiis centuriatis creasse dicatur, interrex proditus a Bruto, teste Dionysio (11). At nulla utriusque muneris fuit necessitudo. Nam primum si recte proditum iudicamus, ab ipso Romulo praefectum institutum esse, simul hoc premendum, nihil quidquam tradi a scriptoribus, unde colligi possit, primum regem etiam de successore cogitasse vel etiam regno stabiliendo continuandoque ita providisse, ut designaverit cui suam potestatem post mor-

---

(8) Cf. Becker II, 1. p. 340 et quos hic laudat scriptorum locos, veluti Dion. Cass. fgm. Mai. nov. coll. II, p. 139 [ed. Bekker. I, p. 7] verba Romuli continentis: ἐγὼ ὑμᾶς, ὦ πατέρες, ἐξελεξάμην, οὐχ ἵνα ὑμεῖς ἐμοῦ ἄρχητε ἀλλ' ἵνα ἐγὼ ὑμῖν ἐπιτάττοιμι, ut reliquos hoc notiores taceam. V. praeterea Fr. Hofmann, der röm. Senat zur Zeit der Republik. Berlin 1847, p. 3 sq.

(9) Curiarum gentiumque delectu senatores factos esse statuerunt Nieb. I, p. 353 sq. („*Berufung in den Senat durch der Könige Willkühr ist als ursprüngliche Einrichtung undenkbar*"), Göttling. p. 150, alii quos v. apud Becker. l. l.

(10) Liv. 1, 59. Dionys. 4, 82: Αὕτη Σπορίου μὲν ἐστι τοῦ Λουκρητίου θυγάτηρ, ὃν ἀπέδειξε τῆς πόλεως ἔπαρχον ὁ τύραννος ἐξιὼν ἐπὶ τὸν πόλεμον cet.

(11) Dionys. 4, 84: μετὰ τοῦτο παρελθὼν ὁ Βροῦτος ἀποδείκνυσι μεσοβασιλέα, τὸν ἐπιμελησόμενον τῶν ἀρχαιρεσιῶν κατὰ τοὺς πατρίους νόμους, Σπόριον Λουκρήτιον· κἀκεῖνος — ἄνδρας αἱρεῖται δύο τοὺς πράξοντας ὅσα τοῖς βασιλεῦσιν ἐξῆν, Βροῦτόν τε καὶ Κολλατῖνον. Cf. 4, 75: ὁ δὲ κατασταθεὶς ὑπ' ἐμοῦ μεσοβασιλεὺς συναγαγὼν τὴν λοχῖτιν ἐκκλησίαν ὀνομασάτω τε τοὺς μέλλοντας ἕξειν τὴν μέλλουσαν βασιλείαν, καὶ ψῆφον ὑπὲρ αὐτῶν τοῖς πολίταις δότω. Livius sub finem libri I: „*Duo consules inde comitiis centuriatis a praefecto urbis ex commentariis Servii Tullii creati sunt, L. Iunius Brutus et L. Tarquinius Collatinus.*"

tem traditam vellet. Subita Romulus morte extinctus, prius quam his rebus ordinandis animum adiicere posset, multitudini gratior quam Patribus, ut ait Liv. 1, 15, nec iniuria fortasse creditus horum potissimum consilio interemptus esse. Ad hos enim rediit res, eorumque animos quum certamen regni ac cupido versaret, quumque in variis voluntatibus, quia nemo magnopere eminebat in novo populo (Liv. 1, 17) et inter ordines certabatur, regnari quidem omnes vellent sed nemo alteri concedere in animum induceret, ad interregnum perventum est remque ita inter se senatores consociant, ut decuriis factis imperitarent deni patres sorte lecti, horumque unus per quinque dies cum insignibus imperii et lictoribus esset. Ac per omnes decurias in orbem videtur ivisse imperium, siquidem et Dionysius [12] diserte hoc testatur et Livius tecte certe significat his verbis (1, 17): „*Fremere deinde plebs, multiplicatam servitutem, centum pro uno dominos factos, nec ultra nisi regem et ab ipsis creatum videbantur passuri.*" Senatus igitur post Romuli

---

[12] Dionys. 2, 57 et Liv. 1, 17 non hac tantum caussa in diversas abeunt partes, quod ille ducentos, hic centum Romulo mortuo senatores fuisse statuit, sed diversam etiam uterque interregni initi rationem prodit, quam operae pretium videtur breviter explicare, quum ne hac quidem in re consentiant interpretes. Ac Livius quidem: „*Ita rem*, inquit, *inter se centum patres, decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summae rerum praeessent, consociant. Decem imperitabant, unus cum insignibus imperii et lictoribus erat: quinque dierum spatio finiebatur imperium ac per omnes in orbem ibat: annuumque intervallum regni fuit.*" Ita igitur sibi finxit rem: Quum decem decuriae fiebant, simul in unamquamque unus creabatur qui summae rerum praeesset. Singulae decuriae earumque decuriones per quinos dies imperium tenebant, ita ut iam post quinquaginta dies omnes decuriae semel regnaverint resque redierit ad primam. Quodsi quinorum dierum fuit regnum decem patrum in decuriam receptorum, haud scio an singulis obvenerit dimidius dies, quo res administrarent, ita tamen, ut summum imperium per omne tempus penes praesidem esset. Inde iam faciliorem explicatum habent, neque indigna fide erunt, quae Plut. Num. 2 hac de re tradit: *μετεώρου τοῦ πολιτεύματος ὄντος ἔταξαν οἱ πατρίκιοι, πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ὄντων αὐτῶν, ἐν μέρει ἕκαστον τοῖς βασιλικοῖς παρασήμοις κοσμούμενον θύειν τε τοῖς θεοῖς τὰ νενομισμένα καὶ χρηματίζειν ἓξ μὲν ὥρας τῆς νυκτὸς ἓξ δὲ τῆς ἡμέρας· καὶ γὰρ ἡ διανομὴ τῶν καιρῶν ἑκατέρου πρὸς ἰσότητα καλῶς ἔχειν ἐδόκει τοῖς ἄρχουσι καὶ πρὸς τὸν δῆμον ἡ μεταβολὴ τῆς ἐξουσίας ἀφαιρεῖν τὸν φθόνον, ὁρῶντα τῆς αὐτῆς ἡμέρας καὶ νυκτὸς τὸν αὐτὸν ἰδιώτην ἐκ βασιλέως γενόμενον.* Cf. Nieb. I, p. 357. Becker II, 1 p. 298. Dionys. autem in viginti decurias divisos patres scribit, harumque eam quae sorte prima fuerit primum per quinquaginta dies ita regnasse, ut per quinos quisque senator dies imperium habuerit. Hanc primam decuriam quinquaginta diebus exactis altera excepit, hanc tertia, donec rex declaratus esset: *τῷ δ' ἑξῆς ἐνιαυτῷ βασιλεὺς μὲν οὐδεὶς ἀπεδείχθη Ῥωμαίων, ἀρχὴ δέ τις, ἣν καλοῦσι μεσοβασίλειον ἐπεμελεῖτο τῶν κοινῶν τοιόνδε τινὰ τρόπον ἀποδεικνυμένη· τῶν πατρικίων οἱ καταγραφέντες εἰς τὴν βουλὴν ὑπὸ Ῥωμύλου, διακόσιοι τὸν ἀριθμὸν ὄντες, ὥσπερ ἔφην, διενεμήθησαν εἰς δεκάδας· ἔπειτα διακληρωσάμενοι τοῖς λαχοῦσι δέκα πρώτοις ἀπέδωκαν ἄρχειν τῆς πόλεως τὴν αὐτοκράτορα ἀρχήν· ἐκεῖνοι δ' οὐχ ἅμα πάντες ἐβασίλευον ἀλλ' ἐκ διαδοχῆς ἡμέρας πέντε ἕκαστος, ἐν αἷς τάς τε ῥάβδους εἶχε καὶ τὰ λοιπὰ τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας σύμβολα· παρεδίδου δ' ὁ πρῶτος ἄρξας τῷ δευτέρῳ τὴν ἡγεμονίαν κἀκεῖνος τῷ τρίτῳ καὶ τοῦτ' ἐγίνετο μέχρι τοῦ τελευταίου. διεξελθούσης δὲ τοῖς πρώτοις δέκα βασιλεῦσι τῆς πεντηκονθημέρου προθεσμίας ἕτεροι δέκα τὴν ἀρχὴν παρελάμβανον καὶ παρ' ἐκείνων αὖθις ἄλλοι.* Cum Dionysio faciunt Eutrop. 1, 1: „*Deinde Romae per quinos dies senatores imperaverunt.*" et Sext. Ruf. 2: „*senatores per quinos dies singuli annum unum.*"

excessum potestatem regiam arripuerat, prudenterque, ut cum Cicerone loquar de rep. 2, 12, quum populus desiderio Romuli regem flagitare non desisteret, novam et inauditam ceteris gentibus interregni ineundi rationem excogitaverat, ut quoad certus rex declaratus esset nec sine rege civitas nec diuturno rege esset uno, nec committeretur, ut quisquam inveterata potestate aut ad deponendum imperium tardior esset aut ad obtinendum munitior. Sed annuum hoc patrum imperium, cui nomen inditum interregno, diversum omnino est ab interregnis posteriorum temporum. Non enim propterea interreges produntur, ut regum consulumve defunctorum potestatem teneant, sed ut comitia, quibus novi magistratus creentur, habeant. Ad patres res redit h. e. ad patricios (v. Becker II, 1. p. 300 sq.), ubi aut abdicavit se munere summus magistratus aut morte absumptus est, senatusque consulto convocantur patricii ad prodendum interregem, qui, quod pro more recepto non ipse poterat praeesse comitiis, alterum interregem proderet, cui comitiorum habendorum cura demandata. Itaque si interreges non cogitandi sunt ii, ad quos summa imperii delata sit, apparet aliam horum rationem provinciamque fuisse atque praefectorum, qui ipsi regum consulumve vicarii ad gubernacula accederent. Deinde hoc quoque inter utrumque magistratum discriminis est, quod interrex a *populo proditur*, praefectus *a regibus vel consulibus legitur*. Idque per omnia tempora trium praefecturae generum proprium et commune fuit, *quod haec dignitas non conferebatur a populo*. Fallitur tamen Göttlingius ([13]), qui hanc ob caussam praefectum non senatorem fuisse neque sententiae dicendae ius habuisse in senatu statuit. Nam Gellii ([14]) loco quem affert de praefectis tantum latinarum agitur, qui quod non sint aetatis senatoriae illo iure caruerint. Ut revertar ad Lucretium, hunc iam apparet non, quod praefectus fuerit, interregis munere functum sed utraque deinceps dignitate ornatum fuisse.

Pulsis regibus non abrogatum est praefectorum munus, sed absentibus summis magistratibus item deligebatur qui eorum officia obiret. Tum vero consules mandabant, qui regiae potestatis, ut ait Liv. 2, 1, omnia iura et omnia insignia tenerent. Sane prioribus liberae reipublicae annis fere moris erat, ut alter tantum ad bellum proficisceretur, remaneret alter. Non raro tamen factum est, ut uterque abierit. V. quos locos congessit Becker II, 2, p. 119 ann. 60. Abhorret autem a verisimilitudine nec probari potest, etiam tum principem senatus a consulibus dictum eumque ipso suo loco praefectum urbi fuisse. Narrantur ubivis consulares viri *electi* esse a consulibus, et quidem in id tantum tempus quo ipsi abessent, quum

([13]) P. 346: Es ist dies auch der Grund, warum der Praef. urbi als solcher später nicht Senator ist und nicht das Recht hat, ein Votum abzugeben, denn er ist kein durch's Volk gewählter Beamter.

([14]) Gell. 14, 8: Praefectum urbi Latinarum caussa relictum senatum habere posse Iunius negat, quoniam ne senator quidem sit, neque ius habeat sententiae dicendae, quum ex ea aetate praefectus fiat, quae non sit senatoria.

non probabile sit, unum aliquem nobilitate et potentia eminentem summa hac po-
testate per vitam ornatum fuisse, ex quo verendum erat ne libertati civium nocere-
tur. Sed veluti dictator defunctus officio abdicare se munere debuit, ita decedebat
magistratu praefectus ubi redierunt consules.

Atque haec quidem in universum. Circumspiciamus accuratiora. Lydus ([15]) ubi narravit septimo decimo reipublicae anno tribunos plebis institutos esse, dicit a. 267 (487 a. Chr.) imperium trifariam divisum penes consules, praefectum urbi, plebem fuisse. Inde Niebuhrius II, p. 135 iusto confidentius conclusit praefecturam ab eo anno comitiis curiatis datam esse petentibus, electosque pro natura et officiis muneris dictos custodes urbis. Sed primum apud ceteros scriptores ne verbum quidem ea de re invenitur. Deinde in ipso Lydi loco vereor ut insit quod inesse voluit Niebuhrius. Refert simpliciter triplicem eo anno in civitate potestatem fuisse. Iam quum et consules et tribuni plebis, quos scriptor in fonte quem adiit invenisse videtur, non eo demum anno introducti fuerint, apparet sane significari tertiam aliquam potestatem prioribus illis additam esse eamque praefecti. Propius igitur fidem fuerit, si statuimus vetustum illum regum morem, virum gravem et nobilem civitati praeponendi dum ipsi abessent, primum eo anno, quem Lydus dixit, repetitum esse. Hoc enim alto scriptorum silentio satis certo effici videtur, praefectos urbi viginti primis et quod excurrit reipublicae annis non fuisse in civitate, quamquam Romani gravissimis quotannis infestarentur bellis. Quum maximo odio et reges et omnes, qui regni speciem prae se ferrent, persequerentur et tanto recens partae libertatis studio arderent, ut vel Collatinum, acerrimum libertatis propugnatorem, ob nominis similitudinem et propinquitatem ex urbe cogerent, nec praefectum pati poterant, qui solus sine collega rebus praeesset. A Dionysio quidem T. Larcius, qui primus dictator fuit a. u. 256 (498), Spurium Larcium fratrem quartae exercitus parti, quae cum senioribus in urbe manere eique praesidio esse iussa erat, praefecisse narratur ([16]), et apud eundem a. u. 258 (496 a. Chr.) A. Sempronius eparchus relictus in urbe dicitur ab A. Postumio dictatore ([17]), itemque a. 260 (494 a. Chr.) sub Valerii dictatura T. Larcius, qui dictator

---

([15]) Lyd. de magistr. 1, 38: τῷ δὲ εἰκοστῷ τρίτῳ τῶν ὑπάτων ἔτει εἰς τρεῖς μοίρας τὰ τῆς ἀρχῆς διῃ-
ρέθη, εἰς τοὺς ὑπάτους, εἰς τὸν τῆς πόλεως ὕπαρχον καὶ τὸν δῆμον· καὶ οἱ μὲν ὕπατοι διώκουν τοὺς πολέ-
μους ὁ δὲ δῆμος ἐστρατεύετο, ὅ γε μὴν ὕπαρχος τὴν πόλιν ἐφύλαττε, custos urbis προςαγορευόμενος ὡςανεὶ
φύλαξ τῆς πόλεως.

([16]) Dionys. 5, 75: διένειμε [Λάρκιος] πεζούς τε καὶ ἱππεῖς εἰς τέτταρας μοίρας· ὧν μίαν μὲν τὴν κρα-
τίστην περὶ αὐτὸν εἶχεν, ἐκ δὲ τῶν ὑπολειπομένων Κλοίλιον ἐκέλευσε τὸν συνύπατον, ἣν αὐτὸς ἐβούλετο, λα-
βεῖν, τὴν δὲ τρίτην Σπόριον Κάσσιον τὸν ἱππάρχην, τὴν δὲ καταλειπομένην τὸν ἀδελφὸν Σπόριον Λάρκιον·
αὕτη φρουρεῖν τὴν πόλιν ἐτάχθη σὺν τοῖς πρεσβυτέροις ἐντὸς τείχους μένουσα.

([17]) Dionys. 6, 2: ἐπὶ δὲ τῆς τετάρτης κατέλιπεν ἔπαρχον Αὖλον Σεμπρώνιον, ᾧ τὴν πόλιν φυλάττειν
ἐπέτρεψεν.

olim fuerat, urbis curam habuisse perhibetur ([18]). Hos vero immerito quis praefectos fuisse iudicet, ut fecit Corsini p. 8 et 9, et si quis eparchi nomen non temere positum a scriptore putet, haec omnia ficta potius cum Niebuhrio ([19]) crediderim, quam ut triplex illud imperium fortuito a Lydo et aliam ob caussam commemoratum pressumque statuam, quam quod primum eo anno praefecturae potestate denuo addita triplex fuit. Apud Livium praefectorum post partam libertatem prima mentio a. 287 lib. 3 cap. 3. Quae de Lydi loco dixi, confirmantur Dionysii auctoritate, qui non solum similia tradit verum etiam praefectum nominat. Hic igitur 8, 64 T. Sicinio et C. Aquillio Css. h. e. 267 a. u. (487 a. Chr.) adversus Hernicos et Volscos bellum a consulibus paratum esse narrat auctore senatu, praesertim ex quo legati ad Hernicos missi iniuriarum illatarum poenas repetituri infecta re redierant Hernicosque ad bellum promptos paratosque esse nuntiaverant. Ταῦτα ἡ βουλὴ μαθοῦσα, pergit, ἐψηφίσατο νείμασθαι τὴν καταγραφεῖσαν ἐκ τῶν νεωτέρων στρατιὰν τριχῆ· τούτων δὲ τὴν μὲν μίαν τὸν ὕπατον ἄγοντα Γάϊον Ἀκύλλιον ὁμόσε τῇ Ἑρνίκων στρατιᾷ χωρεῖν· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἤδη ἦσαν ἐν τοῖς ὅπλοις. (Cf. Liv. 2, 40 fin.: *Consules T. Licinius et C. Aquillius. Sicinio Volsci, Aquillio Hernici (nam ii quoque in armis erant) provincia evenit. Eo anno Hernici devicti, cum Volscis aequo Marte discessum est)* τὴν δὲ ἑτέραν Τῖτον Σίκκιον ἐπὶ Οὐολούσκους ἄγειν, τὸν ἕτερον τῶν ὑπάτων· τὴν δὲ λοιπὴν τρίτην μερίδα παραλαβόντα Λάρκιον Σπόριον, ὃς ἦν ἀποδεδειγμένος ὑπὸ τῶν ὑπάτων ἔπαρχος, τὴν ἔγγιστα τῆς πόλεως χώραν φυλάττειν· τοὺς δὲ ὑπὲρ τὸν στρατιωτικὸν κατάλογον (veteranos milites), ὅσοι δύναμιν εἶχον ἔτι βαστάζειν ὅπλα, ταχθέντας ὑπὸ σημείοις, τάς τ' ἄκρας φρουρεῖν τῆς πόλεως καὶ τὰ τείχη, μή τις αἰφνίδιος πολεμίων γένηται ἔφοδος, ἐξεστρατευμένης τῆς νεότητος ἀθρόας· ἡγεῖσθαι δὲ τῆς δυνάμεως ταύτης Αὖλον Σεμπρώνιον Ἀτρατῖνον, ἄνδρα τῶν ὑπατικῶν· ἐγένετο δὲ ταῦτα οὐ διὰ μακροῦ. Quem locum integrum transscripsi, primum ut appareret, quae inter hunc et Lydi intercederet ratio, tum ut Niebuhrii error patefieret, qui probaturus praefectum comitiis curiatis creatum esse A. Sempronio Atratino hoc munus suffragiis primum obtigisse perperam statuit ([20]), qui quum a Senatu dictus esse narretur, ea re nihil aliud significari quam electum eum esse a patribus. At non est quod spernamus Dionysii testimonium, qui haec omnia ad Spurium Larcium refert. Sempronius si praefectus

---

([18]) Dionys. 6, 42: τὴν δὲ πόλιν ἅμα τοῖς γεραιτέροις καὶ ὀλίγῳ τινὶ στρατεύματι τῶν ἀκμαίων Τῖτος Λάρκιος ἐφύλαττεν.

([19]) Niebuhr II, p. 135: Was unter den Dictaturen des T. Larcius und A. Postumius über ernannte Eparchen bei Dionys. vorkömmt, gehört zu den weitläufigen Geschichten jener Feldzüge, die dort zu lesen sind, wahrlich aber nicht auf den geringsten Glauben Anspruch haben.

([20]) Nieb. II, p. 136 (u. 141): Auch heifst es von dem ersten erwählten Statthalter A. Sempronius Atratinus, er sei durch den Senat ernannt, welches einem Zeugnifs für Ernennung durch die Curien gleichgelten kann, theils weil der Name der patres irre machte, theils weil bei der Ernennung durch die Curien der Senat die Vorwahl hatte, und so lange er die Patricier repräsentirte, unbedingt entschied.

fuisset, non dubito quin diserte ita nuncupatus fuerit, quum simili functus sit munere. Postremo quod Dionysius trifariam copias divisas esse refert, id vide ne Lydum similia in suo fonte repperisse probet. Trium exercituum triplex fuit imperium, idque penes consules et praefectum erat. Triplex vero etiam in republica potestas, consulum, praefectorum, tribunorum plebis.

Iam vero quoniam semel in primum urbis praefectum, qui in libera republica fuit, incidimus, antequam de officio et munere ipso agamus, statim omnes quorum mentio fit recensere eorumque res gestas breviter tangere non absonum fuerit.

Itaque ab ipso Romae conditore Denter Romulius, a Tullo Hostilio Numa Marcius urbis custodiae praepositi fuisse dicuntur a Tac. 6, 11. Numa Marcius, Marci filius, pater fuisse videtur Anci Marcii quarti regis, Numae Pompilii gener, a quo pontifex lectus esse narratur apud Liv. 1, 20. Cf. Nieb. II, p. 126. ann. 239. Tertius praef. sub regibus fuit Spur. Lucretius, a Tarquinio Superbo creatus, pater Lucretiae τῆς διαχρησαμένης ἑαυτήν. Dionys. 4, 76.

Ex quo tempore annuum imperium consulare factum est, hi commemorantur.

1. Anno u. c. 267 (487 a. Chr.) Spurius Larcius, de quo antea dixi, consul quarto reipublicae anno una cum T. Herminio Aquilino, Dionys. 5, 36. Quum Porsena Romam obsideret, dextrum Romanorum cornu tenebant (Dionys. 5, 22), clari ambo genere factisque, ut ait Liv. 2, 10. Eos solos enim cum Horatio Coclite hostibus audacter in statione pontis resistente pudor tenuit.

2. A. 289 (465) Q. Fabio et T. Quinctio Css. Q. Servilius, triennio ante consul (Dion. 9, 57. Liv. 2, 64). Quum Aequi paullo ante victi in acie a Romanis populationibus incursionibusque se meliores esse intellexissent (Liv. 3, 2), tanto cum tumultu fines Romanorum invasere, ut ad urbem quoque terrorem pertulerint. Liv. 3, 3: „*Forte ab Algido Quinctius consul redierat Romam (id remedium timori fuit) tumultuque sedato victos timeri increpans hostes praesidia portis imposuit. Vocato deinde senatu, quum ex auctoritate Patrum iustitio indicto profectus ad tutandos fines esset, Q. Servilio praefecto urbis relicto, hostem in agris non invenit.*" Per quattuor dies praefuisse videtur urbi. Nam postquam ab altero consulum fusi sunt hostes, finem iustitio, quod quatriduum fuit, reditus Quinctii consulis in urbem fecit, ut ait Liv. l. l. Cf. Dionys. 9, 61 ubi non commemoratur.

3. A. 292 (462) Q. Fabius (Liv. 3, 8 et 9), consul a. 287 cum T. Aemilio (Liv. 3, 1. Dionys. 9, 59) et a. 289 cum T. Quinctio (Liv. 3, 2 Dion. 9, 61), ἑνὸς τῶν τριῶν ἀδελφῶν υἱὸς τῶν ἡγησαμένων τε τῆς ἀποσταλείσης φρουρᾶς εἰς Κρεμέραν καὶ διαφθαρέντων ἐκεῖ σὺν τοῖς πελάταις (Dionys. 9, 59). Tertium consulatu fungebatur a. 295. — T. Veturius consul a. 292 in Volscos ad bellum ultro inferendum profectus erat, alter L. Lucretius Tricipitinus Hernicis, in quorum fines hostes irruperant, auxilium tulit. Liv. 3, 8: *Lucretium dum in Hernicis sedet, praedonum agmen fefellit supra montes Praenestinos ductum, inde demissum in campos. Vastavere agros Praenesti-*

num Gabinumque: ex Gabino in Tusculanos flexere colles. urbi quoque Romae ingens praebitus terror, magis in re subita, quam quod ad arcendam vim parum virium esset. Q. Fabius praeerat urbi. is armata iuventute dispositisque praesidiis tuta omnia ac tranquilla fecit." Dionys. 9, 69 ubi narravit bellum decretum copiasque conscriptas esse, pergit: νεμηθείσης δὲ τριχῇ τῆς δυνάμεως μία μὲν ὑπελείφθη φυλάττειν τὴν πόλιν, ἧς ἡγεῖτο Κόϊντος Φάβιος [ita enim pro eo quod libri habent Φούριος vel Φρούριος restitutum] ἀνὴρ ὑπατικός.

4. A. 295 (459) quum contra Volscos et Aequos pugnaretur praefectus urbi P. Lucretius fuit, Liv. 3, 24. Nomen deest apud Dionysium. Tertia conscripti exercitus pars ad urbis custodiam relicta dicitur. Cf. 10, 20: κατὰ σπουδὴν ἐξῄεσαν (consules) φυλακὴν ὑπολειπόμενοι τῇ πόλει τρίτην μοῖραν τῆς ἐπιχωρίου στρατιᾶς. — Ceterum recte Dukerus videtur coniecisse, praenomen huic fuisse Lucio, quod consul a. 462 habuit, quum omnes praefecti consulares fuerint. Comprobavit hoc etiam Niebuhrius II, ann. 255.

5. A. 296 (458) L. Minucio et C. Nautio Css. Romae praefuit idem ille Q. Fabius, de quo supra vidimus. Liv. 3, 29 et Dionys. 10, 22. 23. 24. Nautius contra Sabinos exercitum duxerat, Minucius contra Aequos. Posterior ab Aequis obsessus a L. Quinctio Cincinnato dictatore liberatur et abdicat se magistratu. *„Romae a Q. Fabio praefecto urbis senatus habitus triumphantem Quinctium quo veniebat agmine urbem ingredi iussit."* Liv. l. l. Caeterum eodem anno Q. Fabius cum P. Volumnio et A. Postumio ad Aequos profectus erat legatus, questum iniurias et ex foedere res repetitum. Liv. 3, 25.

Quum anno trecentesimo altero, quam condita Roma erat, ab consulibus ad decemviros translatum esset imperium, ne praefectorum quidem munus amplius in usu fuisse sed ut consulum aliorumque ita et horum abolitum aliquamdiu videtur [21]. Decemviri non omnes aberant urbe, sed unus vel plures reliquis profectis remanebant. Ita a. 305 quum bellum in Sabinos Q. Fabio, Man. Rabuleio et Q. Poetelio mandatum, M. Cornelius autem cum quattuor collegis in Algidum missus esset, App. Claudius et Sp. Oppius urbem tuebantur teste Liv. 3, 41 et Dionys. 11, 23: ὅτε τὸ περὶ τοῦ πολέμου ψήφισμα ἐκύρωσαν, καταγράψαντες ἐν τάχει τὰς δυνάμεις καὶ τριχῇ νείμαντες δύο μὲν τάγματα κατέλιπον ἐν τῇ πόλει, φυλακῆς τῶν ἐντὸς τείχους ἕνεκεν· ἡγεῖτο δὲ τῶν δύο τούτων ταγμάτων Ἄππιος Κλαύδιος ὁ προεστηκὼς τῆς ὀλιγαρχίας καὶ σὺν αὐτῷ Σπόριος Ὄππιος. Fracto deinde decemvirorum imperio quum tribuni militum consulari potestate summum magistratum inirent, etiam praefecti denuo, quando necessarium erat, res administrabant, tamen ut mutata paullum muneris ratione ex ipsis tribunis interdum unus vel plures urbis tutelam haberent.

---

(21) Dionys. 10, 56: αἱ δὲ τῶν δημάρχων τε καὶ ἀγορανόμων καὶ ταμιῶν καὶ εἴ τινες ἦσαν ἄλλαι πάτριοι Ῥωμαίοις ἀρχαὶ κατελύθησαν.

1. Itaque a. 329 (425) ex quattuor tribunis militum tres profecti Veios, A. Cornelius Cossus praefuit urbi (Liv. 4, 31) isque in re trepida dictatorem dixit Mam. Aemilium.

2. A. 331 (423) quattuor tribuni — tot creati erant, Liv. 4, 35 — quod Volscus in Hernicorum agros praedatum exisse nuntiatum erat, ad rem inspiciendam profecti Ap. Claudium, filium decemviri, praefectum urbis relinquunt, impigrum iuvenem et iam inde ab incunabulis imbutum odio tribunorum plebisque. Liv. 4, 36.

3. A. 337 (417) tres tribuni magistratum inierant. Ad quos quum Tusculanorum legati venissent nuntiantes, Lavicanos arma cepisse et cum Aequis depopulatos agrum Tusculanum castra posuisse in Algido, Lavicanis bellum indictum, decretumque a senatu, ut duo ex tribunis ad bellum proficiscerentur, unus res Romae curaret. Sed certamine inter tribunos coorto, quod se quisque belli potiorem ducem ferret, cura autem urbis ingrata ignobilisque videretur, Q. Servilius Priscus ita discordiam diremit, ut filio suo, C. Servilio, uni ex tribunis, urbis tutelam patria sua potestate demandaret. Liv. 4, 45.

4. A. 348 (406) ex quattuor tribunis tres in Volscum agrum ducunt exercitum, Cn. Cornelius unus Romae relinquitur. Liv. 4, 59.

5. A. 351 (403) ex sex tribunis (Liv. 5, 1 octo creatos dicit, Furium Camillum et Postumium Albinum, qui censores fuerunt, tribunis adnumerans), reliqui ad Veios profecti sunt, ubi Appius Claudius relictus est in urbe ad tribunicias seditiones comprimendas. Liv. 5, 2.

6. A. 368 (386) ex sex tribunis Camillus et P. Valerius legiones adversus Antiates ducunt, et suadente Camillo ita divisum imperium, ut Q. Servilius altero exercitu instructo paratoque in urbe castra haberet, L. Quinctius tertio exercitu ex caussariis senioribusque scripto urbi moenibusque praesidio esset, L. Horatius arma, tela, frumentum aliaque provideret, Servius denique Cornelius praeses senatus, custos religionum, comitiorum, legum, rerumque omnium urbanarum fieret. Liv. 6, 6. Pluribus igitur eo anno urbis cura demandata erat.

7. A. 373 (381) duo tribuni Velitras legiones duxere, quattuor collegis ad praesidium Vrbis et si qui ex Etruria novi motus nuntiarentur relictis. Liv. 6, 22.

Post haec tempora praefecti creari desiti sunt nec muneris usquam mentio fit. Non opus erat amplius vicaria hac potestate, postquam novus praeturae magistratus a. 387 (367 a. Chr.) h. e. quarto decimo post ultimos qui commemorantur praefectos inventus est veluti solatium communicati cum plebe consulatus ad iura dicenda, cui rei consules propter frequentia bella non satis vacabant, maximeque ne per plebeium consulem id fieret. Liv. 6, 42. 7, 1. Becker. II, 2 p. 182. Praetor urbanus iisdem quibus consules auspiciis creatus eorumque collega habitus (Liv. l. l. et 8, 32), absentium consulum vice fungebatur et defendendae urbis caussa etiam mi-

litare imperium habebat. Liv. 10, 21. Itaque abolitam praefecturam apparet praetura quasi continuatam esse. Veri non absimile est quod coniecit Drackenborch. p. 11, a. 406, quo etiamtum unus fuerit praetor, semel praefectum creatum videri, quamquam eius non facta sit mentio. Quo anno quum in ipso belli quod cum Gallis gerendum erat apparatu consulum alter mortuus esset, rediissentque res ad collegam Camillum, hic ex decem legionibus octo cum L. Pinario praetore divisit eumque maritimam oram tutari Graecosque arcere litoribus iussit. Liv. 7, 25. Ipse quum Gallicum sibi bellum extra sortem sumpsisset, Roma decessit, duabus legionibus urbi praepositis. — Vbi plures praetores creari consueverunt, quod primum factum a. 511, uni potissimum sors urbana evenit. Ita anno post pugnam Cannensem (539 a. u. 215 p. Chr.) quum quattuor praetores facti essent, senatusconsulto decretum est, ut „*Q. Fulvio (praetori refecto) extra ordinem urbana provincia esset, isque potissimum, consulibus ad bellum profectis, urbi praeesset.*" Testatur Livius 24, 9. Biennio ante ut post pugnam ad Trasimenum lacum commissam quattuor praeterea millia equitum, cum C. Centenio propraetore missa ad collegam ab Servilio consule, in Vmbria ab Hannibale circumventa auditum est: in re trepida dictatorem creari placuit. Sed quod aberat consul, a quo uno dici poterat dictator, populus prodictatorem creavit Q. Fabium Maximum et magistrum equitum Minucium Rufum, hisque cura urbis demandata. Liv. 22, 8.

Per tria fere saecula praefecturae nomen non auditum est. Ac primum quidem M. Antonius magister equitum quum a. 707 (47 a. Chr.) urbe in Campaniam decederet, ut seditiosas ibi legiones coerceret, suas in urbe partes subire iusserat praefecti urbis nomine insignitum avunculum suum L. Caesarem, hominem aetatis decrepitae parumque muneri aptum. Qua in re Antonius, qui praetorum fere iura teneret, potestatis suae fines migravit, quum ad id usque tempus consulum tantum fuisset nec praetorum eligere praefectos ([22]). Tum vero I. Caesar morem pridem intermissum et provinciam in memoriam et usum revocavit. Qui sub finem a. 708 (46) in Hispaniam abiturus, ubi Cn. et Sex. Pompeii adolescentes reliquias cladis Africanae contraxerant, urbi Lepidum magistrum equitum et sex vel octo alios praefecit ([23]). Idque sequenti quoque anno fecit ([24]). Vtebantur praetexta, sella curuli,

([22]) Dio Cass. 42, 30: Κἀν τούτῳ Ἀντώνιος πυθόμενος τὰ στρατόπεδα, ἃ μετὰ τὴν μάχην ὁ Καῖσαρ ἐς τὴν Ἰταλίαν, ὡς καὶ ἐφιψόμενος σφίσι, προέπεμψε, μηδὲν ὑγιὲς δρᾶν, καὶ φοβηθεὶς μή τι νεωτερίσωσι, τὸ μὲν ἄστυ τῷ Καίσαρι τῷ Λουκίῳ ἐπέτρεψε, πολίαρχον αὐτὸν ἀποδείξας (ὃ μὴ πώποτε τῷ ἱππάρχῳ ἐξουσία ποιεῖν ἦν) αὐτὸς δὲ πρὸς τοὺς στρατιώτας ἐξώρμησεν. οἱ οὖν δήμαρχοι οἱ ἀντιστασιάζοντες σφίσι τοῦ τε Λουκίου διὰ τὸ γῆρας κατεφρόνησαν cet. Cf. Rubino p. 301, ann. 1, Drumann III, p. 562.

([23]) Dio 43, 28: οὕτω δὴ καὶ αὐτὸς ἐξεστράτευσεν, τὴν πόλιν τῷ Λεπίδῳ καὶ πολιανόμοις τισὶν ὀκτώ, ὥς τισι δοκεῖ, ἢ ἕξ, ὡς μᾶλλον πεπίστευται, ἐπιτρέψας. Sueton. Caes. 76: „*Tertium et quartum consulatum titulo tenus gessit — atque utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses, ita ut medio*

lictoribus, ut ceteri magistratus a populo creati ([25]). Duobus aerarii cura commissa, horumque alter Caesaris sumptibus mense Quintili ludos Apollinares fecit ([26]). Post Caesaris mortem quum rerum summa penes **Octavianum** esset, hic quoque patris morem imitatus dum abest urbis totiusque Italiae tutelam viro cuidam sibi probato detulit, primum a. 718 (36), quo adversus Sex. Pompeium expeditionem suscepit, C. Cilnio **Maecenati**, equiti romano, amico ([27]). Tum idem *absentis partibus Caesaris functus est*, ut ait Seneca epist. 114 §. 6, a. 723 et 724 ([28]), adiutore tamen **Agrippa** dato, utriusque autem viri tantam voluit esse potestatem Octavianus, ut quas ad senatum aliosque daret literas eas legere antea et corrigere ipsis permiserit eamque ob caussam etiam ipsius sigillo uti ([29]). Postea quum a. 733 in Sicilia versaretur et Romae magnae in consulum comitiis turbae ortae essent, ita ut imperator revocaretur, praefecit urbi, quoniam ipse reverti non posset, **Agrippam** et ut maiorem ei et dignitatem et auctoritatem conciliaret, filiam suam Iuliam ei uxorem

---

tempore comitia nulla habuerit praeter Tribunorum et Aedilium plebis, praefectosque pro Praetoribus constituerit, qui praesente se [intercidit non, Torrent. maluit.: absente] *res urbanas administrarent.* Cf. Drumann III, p. 633 et 642.

([24]) Dio 43, 48: ἐπὶ τῆς διοικήσεως δύο τῶν πολιανομούντων, ἐπειδὴ ταμίας οὐδεὶς προκεχειροτόνητο, ἐγένοντο· ὥσπερ γάρ ποτε πρότερον καὶ τότε ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος οἱ πολιανόμοι πάντα τὰ ἐν τῷ ἄστει πράγματα μετὰ τοῦ Λεπίδου ἱππαρχοῦντος ἔσχον.

([25]) Dio l. l.: καὶ αἰτιαθέντες γε ὅτι καὶ ῥαβδούχοις καὶ τῇ ἐσθῆτι τῷ τε δίφρῳ τοῖς ἀρχικοῖς, ὥσπερ καὶ ὁ ἵππαρχος, ἐκέχρηντο, ἀφείθησαν νόμον τινὰ προβαλλόμενοι δι' οὗ πᾶσι τοῖς παρὰ δικτάτορος ἀρχήν τινα λαβοῦσι χρῆσθαι αὐτοῖς ἐδίδετο.

([26]) Dio l. l.: τούς τε οὖν θησαυροὺς τοὺς δημοσίους δύο τότε τῶν πολιανομούντων διῴκησαν καὶ τὰ Ἀπολλώνεια ὁ ἕτερος αὐτῶν τῇ τοῦ Καίσαρος παρασκευῇ ἐπετέλεσεν. V. Drumann III, p. 129 ann. 73 et p. 643.

([27]) Dio 49, 16: τά τε ἄλλα τὰ ἐν τῇ πόλει τῇ τε λοιπῇ Ἰταλίᾳ Γαϊός τις Μαικήνας, ἀνὴρ ἱππεύς, καὶ τότε καὶ ἔπειτα ἐπὶ πολὺ διῴκησεν. Tac. annal. 6, 11: „*Ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit.*" Vell. 2, 88. Cf. Frandsen, C.Ciln. Maecenas. Altona 1843, p. 65-80.

([28]) Vell. Pat. 2, 88: „*Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Caesar imponit manum* [h. e. a. 724], *Marcus Lepidus, iuvenis forma quam mente melior, Lepidi eius qui triumvir fuerat reipublicae constituendae filius, Iunia Bruti sorore natus, interficiendi simul in urbem revertisset Caesaris consilia inierat. Tunc urbis custodiis praepositus C. Maecenas equestri sed splendido genere natus —; non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus. Hic speculatus* [Maecenas] *est per summam quietem ac dissimulationem praecipitis consilia iuvenis et mira celeritate nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium. Et ille quidem male consultorum poenas exsolvit.*" Cf. Liv. epit. 133 sub fin. Appian. b. c. 4, 50: Μαικήνας ἐδίωκε τὸν Λεπίδου παῖδα βουλεύσεως ἐπὶ Καίσαρα, ἐδίωκε δὲ καὶ τὴν μητέρα τῷ παιδὶ συνεγνωκέναι seq.

([29]) Dio 51, 3: καίτοι ὁ Καῖσαρ ὑποτοπήσας τε αὐτοὺς καὶ φοβηθεὶς μὴ τοῦ Μαικήνου, ᾧ καὶ τότε ἥ τε Ῥώμη καὶ ἡ λοιπὴ Ἰταλία προσετέτακτο, καταφρονήσωσιν ὅτι ἱππεὺς ἦν, τὸν Ἀγρίππαν ὡς καὶ κατ' ἄλλο τι ἐς τὴν Ἰταλίαν ἔπεμψεν· καὶ τοσαύτην γε ἐπὶ πάντα καὶ ἐκείνῳ καὶ τῷ Μαικήνᾳ ἐξουσίαν ἔδωκεν ὥστε σφᾶς καὶ τὰς ἐπιστολάς, ἃς τῇ τε βουλῇ καὶ τοῖς ἄλλοις ἔγραφε, προαναγινώσκειν κἀκ τούτου καὶ μεταγράφειν ὅσα

dedit ([30]). Postremo a. 738, quo in Gallias abiit, **Statilium Taurum** urbi et Italiae praeposuit ([31]) ordinarium haud dubie magistratum, ut iam a. 728 hac potestate ornatum **Messallam Corvinum** fuisse tradit Hieronymus in Euseb. Chronico Ol. 188, 3 (h. e. 727, 728): „*Messalla Corvinus primus praefectus urbis factus sexto die magistratu se abdicavit incivilem potestatem esse contestans.*" De anno quidem non satis constat, sed rei gravissimus auctor est Tac. ann. 6, 11 his: „*Mox rerum potitus ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia sumpsit e Consularibus qui coerceret servitia, et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat. primusque Messalla Corvinus eam potestatem et paucos intra dies finem accepit quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius, quamquam provecta aetate, egregie toleravit. Dein Piso, viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto Senatus celebratus est.*" Apparet igitur et temporariam et continuam sub Augusto praefecti urbis potestatem fuisse, quas non satis accurate distinxerunt scriptorum interpretes. Mea quidem sententia dubitari non potest, quin ordinario praefecturae munere ii tantum ornati fuisse cogitandi sint, qui a Tacito nominantur: **Messalla, Taurus Statilius, L. Piso.** Maecenas autem nunquam eum magistratum gessit, qui ipso demum suadente ab Augusto institutus est ([32]), ut ordinarius et perpetuus esset, sed et a. 718 et 723 imperatoris vicarius absentis partibus fungebatur ([33]). Nec aliud

ἐβούλοντο· καὶ διὰ τοῦτο καὶ δακτύλιον ἔλαβον παρ' αὐτοῦ, ἵν' ἐπισφραγίζεσθαι αὐτὰς ἔχωσιν· διπλῆν γὰρ δὴ σφραγῖδα, ᾗ μάλιστα τότε ἐχρῆτο, ἐπεποίητο, Σφίγγα ἐν ἑκατέρᾳ ὁμοίαν ἐκτυπώσας. Cf. Plin. h. n. 37, 4: „*Divus Augustus inter initia Sphinge signavit. Duas in matris anulis iam indiscretae similitudinis invenerat. Altera per bella civilia absente eo amici* [Maecen. et Agrippa] *signavere epistolas et edicta, quae ratio temporum nomine eius reddi postulabat, non infaceto lepore accipientium, aenigmata adferre eam sphingem. Quia etiam Maecenatis rana per collationem pecuniarum in magno terrore erat.*" Huc pertinent Horatii verba Sat. 2, 6, 38: „*Imprimat his cura Maecenas signa Tabellis.*"

([30]) Dio 54, 6: ἀγανακτήσας οὖν ἐπὶ τούτῳ ὁ Αὔγουστος, καὶ μήτε μόνῃ τῇ Ῥώμῃ σχολάζειν δυνάμενος μήτ' αὖ ἄναρχον αὐτὴν καταλιπεῖν τολμῶν ἐζήτει τινὰ αὐτῇ ἐπιστῆσαι, καὶ ἔκρινε μὲν τὸν Ἀγρίππαν ἐπιτηδειότατον ἐς τοῦτο εἶναι, βουληθεὶς δὲ δὴ καὶ ἀξίωμα αὐτῷ μεῖζον περιθεῖναι, ἵνα καὶ ἐκ τούτου ῥᾷον αὐτῶν ἄρχῃ, μετεπέμψατο αὐτόν, καὶ καταναγκάσας τὴν γυναῖκα, καίπερ ἀδελφιδῆν αὐτοῦ οὖσαν, ἀπαλλάξαντα τῇ Ἰουλίᾳ συνοικῆσαι, ἐς τὴν Ῥώμην παραχρῆμα καὶ ἐπὶ τῷ γάμῳ καὶ ἐπὶ τῇ τῆς πόλεως διαχειρίσει ἔπεμψε.

([31]) Dio 54, 19: καὶ οὕτω τὸ μὲν ἄστυ τῷ Ταύρῳ μετὰ τῆς ἄλλης Ἰταλίας διοικεῖν ἐπιτρέψας (τόν τε γὰρ Ἀγρίππαν ἐς τὴν Συρίαν αὖθις ἐστάλκει καὶ τῷ Μαικήνᾳ διὰ τὴν γυναῖκα οὐκέθ' ὁμοίως ἔχαιρεν), τὸν δὲ δὴ Τιβέριον καίτοι στρατηγοῦντα παραλαβὼν ἐξώρμησεν.

([32]) Sueton. Octav. 37: „*Quoque plures partem administrandae reipublicae caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, aquarum —, praefecturam Vrbis*" cet.

([33]) Cf. Dio 55, 7: τοῦ δὲ δὴ Μαικήνου τελευτήσαντος ἤλγησεν· πολλὰ μὲν γὰρ καὶ ἄλλα ἀπ' αὐτοῦ ἀπώνητο, ὅθεν καίπερ ἱππεῖ αὐτῷ ὄντι καὶ τὸ ἄστυ ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐπέτρεψε, μάλιστα δὲ ὁσάκις ἀκρατεστέρῳ τῷ θυμῷ ἐχρῆτο· τῆς τε γὰρ ὀργῆς αὐτὸν ἀεὶ παρέλυε καὶ ἐς τὸ ἠπιώτερον μεθίστη. — Recte de hac re exposuit Carolus **Hoeckius** Röm. Gesch. vom Verfall der Republik u. s. w. Braunschweig 1841 vol. I, p. 312: „*Mäcenas war keineswegs öffentlich bestellter und anerkannter Stadtpräfect — denn diese Magistratur wurde erst später eingesetzt — und ebenso wenig floss, was Agrippa that, aus der Machtfülle irgend*

Agrippae munus fuit. Errant tamen qui vel privatum utrumque virum extraordinario hoc munere suscepto mansisse nescio dicamne an haberi potuisse opinantur propter Horatii verba, quibus Maecenatem alloquitur (3, 8, 25):

> Negligens, ne qua populus laboret,
> Parce privatus nimium cavere.

Nam nova haec officia si qua alia publica fuerunt, nec privati dici haberique poterant ii, ad quos Octavianus suum a senatu populoque Romano acceptum imperium transtulerat, quibus Roma et tota Italia administrandae datae erant, qui iuri dicundo praeerant, qui publicae securitatis custodes in Vrbe militare imperium habebant, postremo qui vel rebus exteris prospiciebant totiusque imperii Romani supremam habebant curam. Patescunt haec omnia tum Horat. carm. 3, 29, 25 sq.:

> Tu civitatem quis deceat status
> Curas, et Vrbi sollicitus times,
> Quid Seres et regnata Cyro
> Bactra parent Tanaisque discors,

tum memorabili Senecae loco in epist. 114, ubi mollem dissolutamque vivendi dicendique rationem Maecenatis castigat et exemplo perplexi eius scribendi generis allato pergit: „*Non statim, quum haec legeris, hoc tibi occurret hunc esse qui solutis tunicis in Vrbe semper incesserit? (nam etiam, quum absentis Caesaris partibus fungeretur, signum a discincto petebatur:) hunc esse qui in tribunali, in rostris, in omni publico coetu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput exclusis utrimque auribus, non aliter quam in mimo divites fugitivi solent?*" et paullo inferius: „*Maxima laus illi tribuitur mansuetudinis: pepercit gladio, sanguine abstinuit nec ulla alia re quid posset quam licentia ostendit.*" Ad quae verba animadvertisse sufficiet, perspicue imperium militare Maecenatis significari et eo quod gladio pepercisse et sanguine abstinuisse et quod a discincto signum petitum esse dicitur. Signum enim, quod nos dicimus „*die Parole*", imperatores ipsi dabant, ut testatur Sueton. Calig. 56: „*Quum placuisset, Palatinis ludis spectaculo egressum* (Caligulam) *meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chaerea, tribunus cohortis praetoriae, depoposcit: quem Caius seniorem iam ut mollem et effeminatum denotare omni probro consuerat et modo signum petenti Priapum aut Venerem dare, modo ex aliqua caussa agenti gratias osculandam manum offerre*" cet. et cap. 58: „*Alii Sabinum* (tribunum) *summota per conscios centuriones turba signum more militiae petisse et Caio Iovem dante Chae-*

---

eines öffentlichen Amtes. Beide handelten lediglich im Privatauftrage Octavian's und so fehlte ihnen alle gesetzliche Berechtigung zu einem Eingreifen in die Gewaltkreise der Magistrate. Ihr Gewicht bei diesen und bei dem Senate beruhte blofs auf dem Ansehn, welches ihnen aus dem befreundeten Verhältnifs zu dem factischen Machthaber erwuchs. Ihre bedeutendste Wirksamkeit war den Augen Roms entzogen." Cf. Frandsen, Mäcenas p. 67.

ream exclamasse: Accipe iratum." Deinde quanta fuerit Maecenatis potestas vel hoc uno perspici potest, quod a. 724 Lepidum qui contra Caesarem coniurationem fecerat clandestinis consiliis detectis oppressit. V. annot. 28. Postremo ipsum illud Horatianum: „*Parce privatus nimium cavere*" tantum abest ut vel inter urbis praefecturam Maecenatem privatum fuisse doceat, ut etiam contrarium probet. Grandiloquo enim ore poeta orsus: „*Mitte civiles super Vrbe curas*" cet. parum opinor apte quin subrustice perrexisset: Noli nimium populi saluti prospicere tu qui privatus sis nec publico munere fungaris. Imo hortatur Maecenatem, ut in festum diem quem una acturi sint personam publicam veluti exuat et severi muneris immemor secum privatus praesentis horae dona capiat. Sed haec ὡς ἐν παρέργῳ. Pergamus ad reliqua. Agrippa quum a. 733, et fortasse etiam sequentibus annis usque ad 738 [34], res administraverit Augusto absente, apertum est aut errorem esse in eo quod Hieronymus Messallam iam per a. 727,728 praefectum urbis factum esse scribit, aut si fuit, novam potestatem eo tempore conditam quidem esse sed quod incivilis parumve utilis videretur sublatam et de integro decennio demum post a. 738 Tauro Statilio demandatam esse [35]. Ita Messalla iure primus praefectus dici poterat a Tacito eumque excepisse Statilius. Iam quum Maecenas circa a. 725 Octaviano muneris condendi auctor fuerit, probabile fit eum non ita multo post rei animum adiecisse et fortasse iam aestate a. 727, qua in Galliam indeque in Hispaniam abiret, novi magistratus periculum fecisse, ut non magnopere falli videamur, si Hieronymo fidem habemus. Quo maiorem autem probabilitatis speciem haec ratio adipiscatur, consideremus paullo accuratius quae qualesque eo tempore res Romanae fuerint. Ac primum quidem a. 727 ipsis Kal. Ianuar., ut videtur, Octavianus lubens sed vera animi studia dissimulans vultu veluti composito imperium denuo a senatu in se conferri passus erat in decennium [36], medio fere Ianuario mense Augusti nomen ac-

---

(34) Cf. Frandsen, Agrippa. Altona 1836. p. 80.

(35) Cf. L. Wiese, de M. Val. Messallae Corvini vita et studiis doctrinae, Berolini 1829, p. 30-33. Fischer, röm. Zeittafeln p. 401 et 404, qui annum 737 natalem habet praefecturae, falsam esse Hieronymi computationem ratus. Ego vero nihil in Olympiadis numero vitii inesse eo magis adducor ut credam, quod et ea quae praecedunt et quae subsequuntur certissime ad haec tempora pertinent. Ita quod antea dicitur Cornel. Gallus propria se manu interfecisse, id circa a. 728 accidisse Dionis testimonio compertum habemus 53, 23. V. Fischer p. 383. Nec minus quae sequuntur verba: „*Augustus Calabriam* [leg. Cantabriam] *et Gallos vectigales facit*" ad quod tempus referenda sint, certum atque indubitatum est. Scimus Caesarem per a. 728 et 729 adversus Hispanos pugnavisse et antequam in Hispaniam abiret iam aestate a. 727 res in Gallia ordinavisse; nam octavum consulatum Kal. Ianuar. 728 Tarracone iniit. Paullo ante Messalla Aquitanos subegerat, indeque triumphaverat. Cf. Fischer. p. 380. 381 et Fasti Horatiani p. 159. Non recte instituit computationem W. E. Weber, Q. Horatius als Mensch und Dichter, Jena 1844, p. 253 sq.

(36) Cf. Sueton. Oct. 28: „*De reddenda republica bis cogitavit*" cet. Dio Cass. 53, 2: εὐδοκιμῶν τε οὖν ἐπὶ τούτοις καὶ ἐπαινούμενος ἐπεθύμησε καὶ ἑτέραν τινὰ μεγαλοψυχίαν διαδείξασθαι, ὅπως καὶ ἐκ τοῦ

ceperat ([37]), rerumque summus iam arbiter factus provinciarum alias sibi retinuit alias permisit senatui ([38]). Ne multa, tota imperatoris dominatio ipso procerum populi senatusque consensu ita iam aucta corroborataque fuit, ut ab hoc inde tempore merito ἀκριβὴς μοναρχία dici potuerit a Dione ([39]), annique Augustorum a. Kal. Ian. a. 727 numerati sint ([40]). Hoc anno, quo nullus fere per totam illam memoriam imperio Romano gravior fuit, ad quem praeclara Taciti verba referas: *„ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paullatim, munia senatus magistratuum legum in se trahere, nullo adversante"* — hoc igitur tempore quidni Octavianum verisimile sit potestatis recens partae columen praesidiumque novo praefecturae munere quaesivisse et Messallae demandasse viro et generis nobilitate et ingenii dotibus clarissimo maximeque idoneo, eidemque rerum gestarum gloria, triumpho potissimum, quem a. 726 egerat ([41]), tunc ipsum splendidissimo? Haec enim Augusti sapientia et calliditas fuit, quum solus rerum omnium potiretur, ut fractarum potestatum, ne quidquam reipublicae immutasse videretur,

---

τοιούτου μᾶλλον τιμηθείη, καὶ παρ' ἑκόντων δὴ τῶν ἀνθρώπων τὴν μοναρχίαν βεβαιώσασθαι τοῦ μὴ δοκεῖν ἄκοντας αὐτοὺς βεβιάσθαι· κἀκ τούτου τοὺς μάλιστα ἐπιτηδείους οἱ τῶν βουλευτῶν παρασκευάσας ἔς τε τὴν γερουσίαν ἐσῆλθεν ἕβδομον ὑπατεύων, καὶ ἀνέγνω τοιάδε (c. 3 - 10). Cap. 4: ἀλλ' ἀφίημι τὴν ἀρχὴν ἅπασαν καὶ ἀποδίδωμι ὑμῖν πάντα ἁπλῶς, τὰ ὅπλα τοὺς νόμους τὰ ἔθνη, οὐχ ὅπως ἐκεῖνα ὅσα μοι ὑμεῖς ἐπετρέψατε, ἀλλὰ καὶ ὅσα αὐτὸς μετὰ ταῦτα ὑμῖν προσεκτησάμην, ἵνα καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων καταμάθητε τοῦθ', ὅτι οὐδ' ἀπ' ἀρχῆς δυναστείας τινὸς ἐπεθύμησα, ἀλλ' ὄντως τῷ τε πατρὶ δεινῶς σφαγέντι τιμωρῆσαι καὶ τὴν πόλιν ἐκ μεγάλων καὶ ἐπαλλήλων κακῶν ἐξελέσθαι ἠθέλησα. Cf. Fasti Horat. p. 138. 139. Cap. 11: καὶ ἐπαινεῖν αὐτὸν οἱ μὲν οὐκ ἐθάρσουν, οἱ δ' οὐκ ἤθελον, ἀλλὰ πολλὰ μὲν καὶ μεταξὺ ἀναγινώσκοντος αὐτοῦ διεβόων πολλὰ δὲ καὶ μετὰ τοῦτο, μοναρχεῖσθαί τε δεόμενοι καὶ πάντα τὰ ἐς τοῦτο φέροντα ἐπιλέγοντες, μέχρις οὗ κατηνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν αὐταρχῆσαι· Cap. 13: βουληθεὶς δὲ δὴ καὶ ὣς ὁ Καῖσαρ πόρρω σφᾶς ἀπαγαγεῖν τοῦ τι μοναρχικὸν φρονεῖν δοκεῖν, ἐς δέκα ἔτη τὴν ἀρχὴν τῶν δοθέντων οἱ ὑπέστη cet.

([37]) Cf. Fischer. Zeittafeln p. 379. Fasti Horat. p. 146.

([38]) Dio Cass. 53, 12: οὔτε δὲ πάντων αὐτὸς τῶν ἐθνῶν ἄρξειν, οὐθ' ὅσων ἂν ἄρξῃ, διὰ παντὸς τοῦτο ποιήσειν ἔφη, ἀλλὰ τὰ μὲν ἀσθενέστερα ὡς καὶ εἰρηναῖα καὶ ἀπόλεμα ἀπέδωκε τῇ βουλῇ τὰ δ' ἰσχυρότερα ὡς καὶ σφαλερὰ καὶ ἐπικίνδυνα καὶ ἤτοι πολεμίους τινὰς προσοίκους ἔχοντα ἢ καὶ αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ μέγα τι νεωτερίσαι δυνάμενα κατέσχεν cet. Suet. Oct. 47: *„Provincias validiores et quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat, ipse suscepit: ceteras Proconsulibus sortito permisit."*

([39]) Dio 53, 17: οὕτω μὲν δὴ τό τε τοῦ δήμου καὶ τὸ τῆς γερουσίας κράτος πᾶν ἐς τὸν Αὔγουστον μετέστη, καὶ ἀπ' αὐτοῦ καὶ ἀκριβὴς μοναρχία κατέστη. Cf. Monum. Ancyr. graecae interpr. ab Hamiltone repertae vulgataeque in Gerhardi ephemerid. archaeolog. a. 1843 fasc. I, sect. 2. pag. 19-23, tab. VI vs. 17 sq.: ἐν ὑπατείᾳ ἕκτῃ καὶ ἑ[β]δ[ό]μῃ μ[ου ὅλ]ους ἐνφυ[λί]ους [σ]βέσ[ας πολέμ]ους [κα]τὰ τὰς εὐχὰς τῶν ἐμῶν πολε[ιτ]ῶν ἐνκ[ρατ]ὴς γενόμενος πάντων τῶν πραγμάτων ἐκ τῆς ἐμῆς [ἐξ]ουσίας εἰς τὴν τῆς συνκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων μετήνεγκα κυρ[εί]αν· [ἐξ] ἧς αἰτίας δόγματι συνκλήτου Σεβαστὸς προ[σηγορεύθη]ν καὶ δάφναις δημοσίᾳ τὰ πρόπυλά μου ἐστέφθη. V. sis monum. Ancyr. a Io. Franzio et A. W. Zumptio edit. (Berolini 1845) p. 36.

([40]) Fischer. Zeittaf. p. 380.

([41]) Fischer. l. l. p. 381.

vocabula saltem retineret atque haec veluti mutuatus immutatae civitatis formae praetenderet. Probe intellexit in tanta imperii ne satis quidem pacati magnitudine neque se solum gubernaculis regendis supparem futurum, maximeque Vrbem, tot tamque diversarum partium sedem, nova aliqua potestate, praesertim quum ipse abesset, coercendam et in officio tenendam esse. Ecquis autem mirabitur quod eos potissimum nobilium honoribus et opibus subsidia dominationi extulit sibique conciliavit, qui, quum prius ipsi adversarii contrarias partes probassent, mutato iam vitae cursu a se starent et auctoritate sua atque exemplo plurimum valerent apud imperitam multitudinem. At praeposterum fuit eo tempore novum praefecturae institutum et nimis grave periculosumque onus Messallae humeris impositum, quod odii plus quam utilitatis afferre videretur. Itaque quamquam novam reipublicae formam stabilire studebat Corvinus, olim qui fuerat libertatis propugnator acerrimus, tamen aut omnino improbavit eam reipublicae regendae rationem, qua nimia vel potius infinita potestas fieret Augusti, aut praefecturam brevi postquam subiit nondum aptam tempori rerumque statui intellexit, ut post paucos dies magistratu decesserit. Quod si factum statuimus eo tempore quo Hieronymus testatur, nihil in ea re est quo offendas, bellorum civilium undis nondum prorsus sedatis multisque etiamtum aut libertatem recuperare conantibus aut in occulto novi imperii odio infensis. At vix incivile periculosumque dici haberique poterat munus decennio post, quo Augusti dominatio satis firmata et adversariorum partes dudum prostratae essent. Postquam Messalla munere se abdicavit, verisimile est ab Augusto in id tempus, quo Roma abesset — aberat autem tum ab aestate a. 727 usque ad medium a. 730 ([42]) — viro cuidam ipsi probato gubernacula reipublicae tradita esse, prout fecerat a 723 et 724. Nihil quidem de hac re historici. At mihi quidem non dubium est quin Maecenas hoc extraordinario munere per hoc tempus ornatus fuerit, ut Horatii carm. 3, 29 fultus probasse mihi videor in Fast. Horat. p. 161 et 165, cuius disputationis nondum me poenitet. Neque morabitur quemquam quod eius rei nulla apud Dionem mentio, nam ne Corvini quidem praefecturam memoravit. Et haud scio an maiore iure offendamus in eo, si Augusti nullum vicarium per tam longum temporis spatium fuisse statuimus, quod alias quantum scimus nunquam facere praetermisit. Nam ut uno veluti obtutu annorum seriem usque ad a. 738, quo ordinarius praefecturae magistratus institutus est, perlustremus, haec de vicaria potestate quam Augustus quibusdam attribuit constare videntur:

A. 718. 723. 724 (usque ad reditum Augusti aestate 725?) Maecenas Octaviani vicarius.

[A medio a. 725 usque ad initium aestatis 727 Octavianus Romae erat.]

([42]) Particula inscriptionis hoc patescit. V. Fasti Horat. p. 194.

A medio a. 727 usque ad med. a. 730: **Messalla per sex dies praefectus urbis**, reliquo tempore Maecenas vicarius Augusti.

[A medio a. 730 ad finem a. 732 Augustus Romae.]

A. 733 et 734 Agrippa ([43]) vicarius Augusti; fortasse etiam, primis mensibus exceptis, quibus Cantabros perdomuit, aestate a. 735 ad reditum usque Augusti, qui incidit in aestatis finem a. 735.

[Ab a. 735 auctumno usque ad a. 738 Augustus Romae erat. Tum in Gallias abiit ibique ad a. 741 usque mansit.]

A. 738 **Statilius Taurus praef. urbis.**

Statilius Taurus, qui a 717 cum Agrippa primum consul fuerat, a. 728 iterum cum Augusto, sexagenarius haud dubie fuit quum praefecturae munus subiret, nec magna cum probabilitate statuere licebit, eum per reliquos Augusti annos h. e. per quinque lustra nova provincia functum esse, ita ut nonaginta paene annos expleverit. Attamen qui reputaverit nullius praeterea praefecti mentionem fieri sub Augusti imperio, et a Tacito **provectam** Statilii aetatem non sine caussa premi, is, donec certiora inventa sint, mecum fortasse in eo acquiescendum iudicabit, Statilium Taurum ab a. 738 usque ad a. 767 praefectum fuisse videri. Hoc enim anno, quo Augustus obiit, excepit eum, sed ante mortem imperatoris, **L Calpurnius Piso**, qui tertius affertur a Tacito praefectus. De qua re iam uberius dicendum. Ac primum quidem quod Tacitus Pisonem **viginti** per annos probatum dicit id magnopere torsit interpretes multosque impulit ut corrigerent numerum annorum. Nam Senecae Plinii Suetoniique testimoniis compertum habemus, Pisonem a **Tiberio** praefectum fuisse urbi. Iam quum Tiberius Augusto successerit a. 767, et Piso mortuus sit a. 785, apparet viginti annos non recte se habere nec conciliari posse cum rerum gestarum ordine. Quamobrem et ipse mutandum Taciti locum puto sed alia ratione ac tentarunt interpretes. Videamus igitur scriptorum locos de Pisone. Plin. hist. nat. 14, 28: „*Gloriam hac virtute Parthi quaerunt, famam apud Graecos Alcibiades meruit, apud nos cognomen etiam Novellius Torquatus Mediolanensis, ad Proconsulatum usque e Praetura honoribus gestis, tribus congiis (unde et cognomen illi fuit) epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Ti. Claudio Principe, in senecta iam severo atque etiam saevo alias: sed ipsa iuventa ad merum pronior fuerat. Eaque commendatione credidere L. Pisonem Vrbis Romae çurae ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum iam Principem.*" Sueton. Tib. 42: „*Postea princeps in ipsa publicorum morum*

([43]) Maecenatem a. 734 urbi praefuisse Horatii interpretes certatim affirmant. Vide sis qui longam priorum turbam sequuti nondum hunc errorem devitarunt Luebkerum Commentar zu Horaz Oden p. 4 et 422 (cf. p. 142) et Wuestemannum qui Heindorfii edit. Sat. recudendam curavit p. 439. Merum commentum est. V. Fasti Horat. p. 159 et Frandsen Maecenas p. 77. — Rectius iudicavit Dillenburger ad Hor. carm. 3, 8, 26.

correctione cum Pomponio Flacco et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit, quorum alteri Syriam provinciam alteri praefecturam Vrbis confestim detulit, codicillis quoque iucundissimos et omnium horarum amicos professus." Senecae l. epist. 83 supra transscripsi pag. 5. In his gravissimum certissimumque temporis indicium est hoc, quod Suetonius in ipsa publicorum morum correctione compotationem istam fuisse scribit, quae utrique viro potestatem suam meruerit. Haec enim morum correctio, quae censoria fuit, exercita est a Tiberio cum Augusto a. 767 centesimo die ante huius obitum h. e. V. Id. Mai. Ter Augustus lustrum condiderat ([44]) primum a. 726, deinde a. 746, tertium a. 767. Cf. Fischer. Röm. Zeittaf. p. 376. 390. 416 et 447. „[Tertiu]m, ipse inquit ([45]), *consulari cum imperio lustrum conlega Tib. Ca[esare feci] Sex. Pompeio et Sex. Appuleio cos. quo lustro ce[nsa sunt Ro]manorum capitum quadragiens centum mi[llia et nona]ginta et septem millia."* Alterum lustrum a. 746 solus fecerat Augustus ([46]). Tiberius autem solus nunquam censuram egit ([47]). Nam proximum post tertium Augusti lustrum fuit id quod per a. 800. 801 condidit Claudius ([48]). Ergo morum illa correctio non alio fere anno facta esse potest quam 767, eodemque Piso praefectus Vrbis creatus esse putandus erit. Atqui inter hunc et annum fatalem Pisonis (785) interpositi sunt duodeviginti anni. Vide igitur ne hoc ipsum levi nisi me fallit correctione apud Tacitum restituendum sit: *„Piso duodeviginti per annos pariter probatus."* Sed dubitarunt num princeps dici potuerit Tiberius, quo tempore nondum solus imperium teneret. Quae res aliqua sane difficultate premitur, quum certis scriptorum testimoniis non possit probari. Verumtamen Tiberius, quem adoptatum ab Augusto ([49]), tribuniciae potestatis consortem factum ([50]) auctumque fuisse scimus imperatorio nomine ([51]), princeps et fuit et dici

([44]) Suet. Octav. 27: *„Recepit et morum legumque regimen aeque perpetuum: quo iure quamquam sine censurae honore censum tamen populi ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus."*

([45]) Monum. Ancyr. tab. II, vs. 9 ed. Franz. et Zumpt. p. 30, in Wolfii edit. Suet. vol. II, p. 370. Cf. Suet. Oct. 97: *„Mors quoque eius — evidentissimis ostentis praecognita est. Quum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet aquila eum saepius circumvolavit. — Quo animadverso vota, quae in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare iussit."*

([46]) Monum. Ancyr. l. l. vs. 5: [alteru]m consulari cum imperio lustrum solus feci, cet.

([47]) Nam de sollemni morum correctione non possunt intelligi quae tradit Suet. Tib. 33: *„atque etiam si qua in publicis moribus desidia aut mala consuetudine labarent, corrigenda suscepit"* et cap. 59: *„Multa praeterea specie gravitatis ac morum corrigendorum sed et magis naturae obtemperans ita saeve et atrociter factitavit, ut nonnulli versiculis quoque et praesentia exprobrarent et futura denuntiarent mala."* De censura dicitur morum correctio apud Suet. Domit. 8: *„Suscepta morum correctione licentiam theatralem promiscue in Equite spectandi inhibuit."*

([48]) Cf. Fischer. l. l. p. 390.

([49]) Anno 757, v. Fischer. p. 431.

([50]) Tribuniciam potestatem in quinquennium accepit primum a. 748, v. Fischer. p. 419, iterum in totidem annos aut in decennium a. 757. v. Fischer. p. 431.

([51]) Walther. ad Tac. annal. 1, 3.

potuit eo tempore quo collega imperii a patre assumptus erat. Quod extremis Augusti annis accidit, fortasse ipso a. emortuali, ut Suet. loco Tib. 21 coniicias: „*Ac non multo post lege per Consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret, condito lustro in Illyricum profectus est. Et statim ex itinere revocatus iam quidem affectum sed tamen spirantem adhuc Augustum repperit, fuitque una secreto per totum diem,*" in quibus aperte a. 767 indicatur. Velleius ([52]) tamen hanc legem iam a. 765, quo triumphum egit ex Pannoniis Dalmatisque Tiberius, latam esse tradit, et vel priori aetati adscribendam putat Waltherus ad Tac. l. l., quod Suetonius eam non multo post dedicatam Pollucis et Castoris aedem, quae dedicatio facta sit a. 759 secundum Dionem 55, 27, ortam dicat. Sed nimium pressit Suetonii verba „*ac non multo post*", quae mihi quidem satis laxo nexu prioribus iuncta non certum temporis adminiculum praebere videntur. Vtut est, parumne credibile videbitur potestatem reputanti quam Tiberius nactus erat Augusti vita ad finem vergente, eum Syriam provinciam tradere potuisse Pomponio, praefecturam urbis Pisoni, ipsumque, penes quem Augusto invalido iam summa fere rerum esset, dici potuisse principem? Quando Syria Pomponio administranda data sit non liquet. Consul fuit a. 770, Moesiae praeerat a. 772, propraetor Syriae obiit a. 786. Cf. Ernesti ad Suet. Tib. 42, interpr. Tac. 6, 11. Fuerunt qui confestim illud Suetonii ad Pisonem tantum eiusque munus referrent, ut tempore non significato Pomponius Syriam provinciam accepisse narratus sit. Nihil tamen impedit quominus eum iam ante consulatum, fortasse ipso a. 767, in Syriam abiisse et bis eam administrasse coniiciamus. Restat ut locum Senecae breviter examinemus, qui Tiberium in Campaniam proficiscentem h. e. a. 779 Praefecturam Pisoni dedisse scribit. Quod Corsinium ([53]) impulit, ut VI per annos Tacito speciosa coniectura putaret restituendum esse. Sed quamvis maxima sit Senecae auctoritas in omnibus quae de aetate proxime praecedente tradidit, in hoc tamen scriptorum dissensu perspicuam illam certissimamque temporis notam apud Suetonium minime spernendam iudico. Quin etiam Tiberii iter in Campaniam susceptum haud scio an et ipsum in illum annum incidat, quem Pisonis praefecturae primum fuisse suspicamur. Nam lustro condito a. 767 Augustus in Illyricum misit Tiberium ([54]), ut fir-

---

([52]) Vell. 2, 121: „*Quum senatus populusque Romanus postulante patre eius, ut aequum ei ius in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto complexus esset (etenim absurdum erat, non esse sub illo, quae ab illo vindicabantur, et qui ad opem ferendam primus erat ad vindicandum honorem non iudicari parem) in urbem reversus iam pridem debitum sed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis Dalmatisque egit triumphum.*"

([53]) Corsini de praef. urb. p. 32. Probavit eius coniecturam Orelli ad Tac.

([54]) Cf. quos Fischer. laudat locos pag. 448. V. Sueton. Tib. cap. 21 et Octavian. 97: „*Tiberium igitur in Illyricum dimissurus et Beneventum usque prosequuturus — exclamavit. Atque itinere inchoato Asturam perrexit*" cet. 98: „*Tunc Campaniae ora proximisque insulis circuitis Caprearum quoque secessui*

maret pace quae bello subegerat, eumque ipse per Campaniam Beneventum usque prosequutus est. Discessit Augustus Beneventi petiitque Nolam. Nec Tiberius iter perfecit sed ob ingravescentem patris morbum *„statim ex itinere revocatus est,"* ut ait Suet. Tib. 21. Hanc igitur Tiberii per Campaniam profectionem non minus memorabilem quam alteram, qua non rediturus Romam illuc abiit a. 779, fortasse respexit Seneca. Haec hactenus. Quae de Pisonis praefectura attuli, ea fateor non omni dubitatione exemta esse. Interim donec meliora edoctus fuero in his acquiescendum erit.

Praefectura, quam Augustus magistratum ordinarium instituit, nomine tantum cum vetere illa pridem intermortua congruebat, re et potestate plane distabat. Suaserat Maecenas (55), ut praefectus ex primariis electus viris, qui omnes magistratus quos geri ante hunc conveniret gessissent, non solum absentibus consulibus sed omni tempore urbis curam haberet, caussasque eas, in quibus a magistratibus appellare quasque ad superiorem remittere liceret (56), itemque capitales paucis exceptis in Vrbe et intra centesimum ab urbe lapidem diiudicaret. Item auctor fuit ut hic novus magistratus ab uno eodemque per vitam gereretur eique salarium constitueretur (57). Hac praefectura fracta est praetorum potissimum potestas. Mirabili igitur rerum vicissitudine accidit, ut vetus illa praefectura in praeturam, haec sub imperatoribus rursus in praefecturam commutata sit.

Ordinarius praefecturae magistratus per omnia imperii saecula in usu et honore fuit nec abolitus est quum sedes regni Byzantium translata esset. Demanda-

---

quatriduum impendit" cet. „— *Mox Neapolim traiecit — et cum Tiberio ad destinatum locum contendit. Sed in redeundo aggravata valetudine tandem Nolae succubuit, revocatumque ex itinere Tiberium diu secreto sermone detinuit neque post ulli maiori negotio animum accommodavit."* Vell. 2, 123: *„Caesar Augustus quum — Tiberium — filium missurus esset in Illyricum — prosequens eum — processit in Campaniam: quamquam iam motus imbecillitatis inclinataeque in deterius principia valetudinis senserat, tamen obnitente vi animi prosequutus filium digressusque ab eo Beneventi ipse Nolam petiit et ingravescente in dies valetudine — festinanter revocavit filium. Ille ad patrem patriae revolavit maturius."* Non longe igitur ultra Beneventum processisse videtur Tiberius.

(55) Dio Cass. 52, 21: πολίαρχος δὲ δή τις ἔκ τε τῶν προηκόντων καὶ ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων ἀποδεικνύσθω, οὐχ ἵν' ἀποδημησάντων που τῶν ὑπάτων ἄρχῃ ἀλλ' ἵνα τά τε ἄλλα ἀεὶ τῆς πόλεως προστατῇ, καὶ τὰς δίκας τάς τε παρὰ πάντων ὧν εἶπον ἀρχόντων ἐφεσίμους τε καὶ ἀναπομπίμους καὶ τὰς τοῦ θανάτου τοῖς τε ἐν τῇ πόλει, πλὴν ὧν ἂν εἴπω, καὶ τοῖς ἔξω αὐτῆς μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων σταδίων οἰκοῦσι κρίνῃ.

(56) Appellationem ad Praefectum urbis iam Augusti memoria fuisse Romae incolis nec ex posterioris tantum temporis usu id fictum esse a Dione, colligitur Suet. Oct. 33 fin.: *„Appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum Praefecto delegabat Vrbis; at provincialium consularibus viris, quos singulos cuiusque provinciae negotiis praeposuisset."*

(57) Dio l. l.: ἀρχέτωσαν δὲ δὴ οἱ δύο οὗτοι (praef. urbis et ὑποτιμητὴς recens instituendus) διὰ βίου, ἄν γε δὲ μὴ κακυνθῇ τις αὐτῶν τρόπον τινὰ ἢ καὶ νοσώδης ἢ καὶ ὑπεργήρως γένηται. καὶ μισθόν γέ τινα φερέτωσαν καὶ τῆς ἀσχολίας ἕνεκα καὶ τῆς ἀξιώσεως. 52, 24: καὶ οὗτοι μὲν διὰ βίου, ὥσπερ που καὶ ὁ πολίαρχος ὅ,θ' ὑποτιμητής, τὴν ἀρχὴν ἐχέτωσαν.

batur pro arbitrio imperatorum in brevius longiusve tempus proceribus viris. A Valeriani fere aetate (254 p. Chr.) ita immutata est ratio muneris, ut quotannis novus praefectus id subiret. Admittebantur ad summum hunc honorum gradum ii tantum, qui in senatum allecti erant, a quo more raro tantum posteriore tempore discessum est. Ita Carinus imperator (282 p. Chr.) notatur a Vopisco, quod praefecturam uni ex cancellariis suis dederit, his verbis (init. vit. Car.): „*Amicos optimos quosque relegavit, pessimum quemque elegit aut tenuit; praefectum urbi unum ex cancellariis suis fecit, quo foedius nec cogitari potuit aliquando nec dici.*" Neque solum senatoriam habebat dignitatem praefectus sed etiam princeps senatus erat primusque sententiam dicebat. Hoc posterioribus certe temporibus ita fuisse aliquot scriptorum locis, quos collegit Drackenb. p. 35 et Zumpt. observatt. in Namat. carmen (Berolini 1836) p. 13 sq., probatur. Ita Cassiodorus Var. 6, 4: „*Nemo amplius,* inquit, *videtur erigi quam cui potuit Roma committi. — Senatus ille mirabili opinione gloriosus probatur habere praesulem, quem mundus suscipit iura condentem. — Consides supra omnes scilicet consulares, sententiam primus dicis et in illa libertatis aula reverendus aspiceris, in qua commissos habere mundi Primarios approbaris.*" Eodemque modo Sidon. Apoll. 1, 9 praefectum urbis dicit praefectum senatus. Num iam prioribus saeculis praefecti dignitas ita aucta fuerit non liquet, videtur tamen cum aliqua probabilitate statui posse. Iam Pertinacis tempore (193 p. Chr.) eius rei vestigia deprehendisse sibi visus est Zumpt. observ. p. 16 et in edit. Namat. (Berolini 1840) p. 83, Iulii Capitolini loco fultus, qui in vit. Pert. 13 haec habet: „*Imperium et omnia imperialia sic horruit, ut sibi semper ostenderet displicere, denique non alium se quam fuerat videri volebat. Fuit in Curia honorificentissimus ita ut senatum faventem adoraret* (h. e. senatui sibi fausta dicenti et acclamationibus faventi gratias ageret eo gestu eo vultu, quasi deos adoraret, ut explicavit Casaubonus) *et quasi praefectus urbi cum omnibus sermonem participaret.*" Verum quum Pertinax multos per annos praefectus fuerit (Herodian. 2, 2), hoc tantum significasse videtur scriptor, eum vel ad imperatoriam dignitatem provectum cum senatoribus egisse et sermocinatum esse eadem liberalitate qua antea usus erat. Vtcunque fuit, non praetermittendam putabam hanc quae inter antiquissimum praefecturae munus et magistratum ordinarium intercesserit similitudinem. Sed iam pes figendus vel potius aliam in partem dirigendus cursus. Video me fines quos mihi scripseram iam transgressum esse festinantem ad nova ista, quasi primae origines, ut cum Livio loquar, proximaque originibus minus praebitura voluptatis sint. Et sane Augusti potissimum aetas, qua condita praefectura est, sive memorabilem reipublicae conversionem respicis, sive uberrimum magnorum ingeniorum proventum, sive miram quandam illius temporis cum nostrarum rerum statu similitudinem, habet magnopere quo alliciat aliquem et ad quaerendum scribendumque

incitet. Nunc igitur sufficiat animadvertisse, de officio praefecti urbis singularem esse titulum in Digest. I, 12, formulamque praefecturae urbanae legi in Cassiodori Var. 6, 4. Praeter eos quos iam supra attuli tractavit hanc rem etiam Curtius de senatu Romano III, 9, §. 48. 49.

Revertendum est ad vetus illud munus, ut de officiis praefectorum accuratius dicatur.

Tacitus l. l. scribit: „*profectis domo Regibus ac. mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet ac subitis mederetur.*" Hunc igitur si sequimur, munia praefecti haec erant.

1. Praeerat iurisdictioni, ita quidem, ut tum ipse graviorum scelerum index sederet, tum leviorum caussarum cognitionem senatoribus permitteret et quaestionum exercendarum auctor esset. Probabile est provocationem ab eo ad populi iudicia fuisse, quae ab aliis Tulli Hostilii temporibus orta, ab aliis lege Valeria de provocatione constituta ferebantur. V. Becker. II, 1 p. 385 sq. Nono quoque die ius dicebant reges (Macrob. 1, 16). Horum igitur munere fungebatur, ubi res exigeret, consulumque hac in re vicarius erat, quos et ipsos decebat τὰ δικαστήρια δικάζειν, ut ait Dionys. 6, 24. Omninoque iura munia potestas praefecti et sub Regibus et libertate parta valde similia fuisse videntur, quum imperio consulari nihil quidquam ex regia potestate deminutum fuerit et primi consules omnia iura et insignia tenuerint Liv. teste 2, 1. Vbi in tantis versabatur civitas periculis, ut omnia munera et negotia quotidiana abrumperentur et intermitterentur, interdum praef. nec iuri dicundo vacabat. Ita ex auctoritate patrum iustitium indictum erat Q. Servilio praefecto urbi a. 465 a. Chr. Liv. 3, 3. Ita Quinctius Cincinnatus dictator, quum Fabius urbis curam haberet a. 458 a Chr. (Liv. 3, 27), iustitium edixerat, claudi tabernas tota urbe iusserat vetueratque quemquam privatae quidquam rei agere.

2. Praecipua praefecti cura fuit, ut urbem et ab intestinis turbis seditionibusque et ab exteris periculis tutam et incolumem praestaret. Hoc est illud quod Tac. dicit, subitis eum mederi debuisse. Itaque copiis quae in urbe remanerent praeerat atque „*armata iuventute dispositisque praesidiis tuta omnia atque tranquilla fecit*" ut dicit Liv. 3, 8 de Fabio. Bello coorto ubi res postulabat arma parandi et milites scribendi ius habebat (Liv. 4, 46), eorumque ipse erat dux. Hae legiones, quas in re trepida instruxit ut urbi praesidio essent, plerumque ex iunioribus conscriptae erant (Liv. 3, 8: „*armata iuventute*"), distinguendae ab alio praesidio relicto interdum in subsidium (Reserve), quod ex senioribus et caussariis constabat [58]. Hi

---

[58] Liv. 5, 10 de a. 354 (400 a. Chr.) quo multiplex bellum erat scribit: „*Omnium primum tribunis militum fuit, delectum haberi; nec iuniores modo conscripti, sed seniores etiam coacti nomina dare, ut urbis custodiam agerent.* Id. 6, 6 de a. 369: „*Tertius exercitus ex caussariis senioribusque a L. Quinctio scribatur, qui urbi moenibusque praesidio sit.*"

veterani etsi ad urbem potissimum tutandam scribebantur, tamen etiam contra hostes ibant, si res postularet. Ita a. u. 365 Camillus tertium dictator *πυθόμενος τὸ μετὰ τῶν χιλιάρχων στράτευμα πολιορκούμενον ὑπὸ τῶν Λατίνων καὶ τῶν Οὐολούσκων ἠναγκάσθη καὶ τοὺς οὐκ ἐν ὥρᾳ τῶν πολιτῶν ἀλλ' ἤδη παρηβηκότας καθοπλίσαι*, ut narrat Plut. Camill. 34. Eodem modo legiones urbanae a. 368 (386 a. Chr.) ex caussariis senioribusque scriptae, quae urbi moenibusque praesidio essent (Liv. 6, 6) — Servius Cornelius praefectus urbi fuit — Camillo duce in bellum Etruscum proficiscuntur (Liv. 6, 9). Ita a. 377 (377 a. Chr.) tres exercitus scripti, unus ad praesidium urbis, alter, qui, si qui alibi motus extitisset, ad subita belli mitti posset, tertium longe validissimum P. Valerius et L. Aemilius ad Satricum duxere. Liv. 6, 32. Anno 296 Q. Fabius urbi praefectus Minucio ab Aequis obsesso partem copiarum urbanarum auxilio misit, quibus praeerat T. Quinctius (59). De a. 290 v. Liv. 3, 4 et Dionys. 9, 63. Vbi maior belli moles imminebat, quadrifariam copiae divisae erant, ita ut duas partes consules, tertiam praefectus urbi haberent, quartam alius imperator qui eligebatur. Cf. Dionys. 8, 64 quem locum supra pag. 14 descripsi et 9, 5.

3. Postremo praefectus urbi ius habuit senatum convocandi et ad eum referendi. Testatur hoc Liv. 3, 9: „*senatus a praefecto urbis Q. Fabio vocatur*" et 3, 29: „*Romae a Q. Fabio praefecto urbis senatus habitus triumphantem Quinctium quo veniebat agmine urbem ingredi iussit.*" Inde est quod Camillus apud Liv. 6, 6 Ser. Cornelium collegam in urbe remanentem praesidem publici consilii dixit in senatu. Sed quod simul eum custodem religionum comitiorum legum rerum omnium urbanarum appellat, id non ita comparatum est, ut his praefectorum officia universa significata esse queant existimari. Fuit enim Ser. Cornelius tribunus h. e. ordinarius magistratus, cuius haud dubie latius patuit potestas quam praefecti. Ac sacrorum quidem cura nunquam penes praefectum fuisse videtur. Iam Numa quamquam plurima sacra ipse obibat sacerdotibus creandis animum adiecit, pontificem ex Patribus legit eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit. „*Cetera quoque omnia publica privataque sacra Pontificis scitis subiecit,*" ut est apud Liv. 1, 20. Sed quaedam publica sacra per ipsos reges fiebant. Itaque pulsis regibus, ne ubiubi regum desiderium esset, regem sacrificulum creant, idque sacerdotium pontifici subiectum, „*ne additus nomini honos aliquid libertati, cuius tunc prima erat cura, officeret,*" ut dicit Liv. 2, 2. Inde apparet vix sub regibus fuisse cur praefectos sacris quoque interdum providisse credamus, nedum sub consulum imperio, penes quos sacrificulo rege instituto non amplius erat sacrorum procuratio.

---

(59) Dionys. 10, 23: ἀφικομένης δ' εἰς Ῥώμην περὶ τούτων ἀγγελίας, Κόιντος Φάβιος, ὁ καταλειφθεὶς ἐπὶ τῆς πόλεως ἔπαρχος, ἀπὸ τῆς σὺν αὐτῷ στρατιᾶς, ὅσον ἦν ἀκμαιότατον τε καὶ κράτιστον ἐπιλέξας μέρος, ἐπὶ συμμαχίαν ἔπεμψε τῷ ὑπάτῳ· ἡγεῖτο δὲ τῆς δυνάμεως ταύτης Τῖτος Κόιντιος ὁ ταμίας, ἀνὴρ ὑπατικός.

Quantacunque fuit praefectorum potestas, singulari muneris natura factum est ut non omnium rerum essent arbitri consulumque in difficilioribus expectaretur iudicium. Ita P. Lucretium praefectum urbis Liv. 3, 24 obtinuisse scribit, „*ut actiones tribuniciae in adventum consulum differrentur.*"

Omnes qui commemorantur praefecti honoribus et factis clari sunt homines, aetate et auctoritate graves, **consulares**. V. quae de Lucretio supra dicta sunt p. 16. Num lictores et sellam curulem habuerint non liquet, nam qui a Drackenborchio affertur locus Dionis Cassii libr. 43, pertinet ad Caesaris tempora. Probabile est nec externis eos insignibus, quae summorum magistratuum vicarios decerent, caruisse.

CAP. II.
De praefectura Vrbis Feriarum Latinarum.

Feriae, „*dies cessationum ab opere et iudiciis*" (60), aut publicae sunt aut privatae. Publicarum quattuor genera. aut enim stativae fuerunt aut conceptivae aut imperativae aut nundinae. Ex his **conceptivae** dicebantur, quae quotannis a magistratibus vel a sacerdotibus in dies certos vel etiam incertos conciperentur, ut Latinae, Sementivae, Paganalia, Compitalia (61). **Latinae feriae** institutae sunt a Tarquinio Superbo, ut induciarum pacisque quondam inter populum Romanum Latinosque firmatarum publicum quasi documentum essent (62). Sanxit rex, ut omnes populi in foedus et societatem recepti quotannis in monte Albano congressi sacra facerent Iovi Latiali, convivia celebrarent, nundinarentur. Quadraginta septem populi communis huius sacrificii participes erant aliique aliud epularum symbolum conferebant, ita ut hi agnos illi caseos, alii lac, alii aliud eiusmodi cibi genus darent, taurique communiter immolati certam quandam portionem acciperent omnes. Sacris praeerant Romani (63). Celebrabantur hae feriae Latinae primum per unum diem, regibus pulsis per duos et reducta post secessum plebe in urbem per tres (64). Quartus denique dies additus postquam Camillus in urbem ab exilio revocatus

---

(60) V. Dirksen manuale latinitatis fontium iur. civ. Rom. Berol. 1837, p. 371.

(61) Macrob. Sat. 1, 16.

(62) Cf. Macrob. Sat. 1, 16: „*quia nec Latinarum tempore, quo* *publice quondam induciae inter populum Romanum Latinosque firmatae sunt*, *inchoari bellum decebat.*

(63) Dionys. 4, 49. Liv. 1, 52.

(64) Dionys. 6, 95: ἐψηφίσατο δὲ καὶ θυσίας ἀποδοῦναι τοῖς θεοῖς ἡ βουλὴ χαριστηρίους ἐπὶ ταῖς πρὸς τὸν δῆμον διαλλαγαῖς, προςθεῖσα μίαν ἡμέραν ταῖς καλουμέναις Λατίναις ἑορταῖς, δυσὶν οὔσαις· τὴν μὲν πρώτην ἀνιερώσαντος βασιλέως Ταρκυνίου, καθ' ὃν χρόνον ἐνίκησαν Τυρρηνούς· τὴν δ' ἑτέραν τοῦ δήμου προςθέντος, ὅτε τοὺς βασιλεῖς ἐκβαλὼν ἐλευθέραν τὴν πόλιν ἐποίησεν· αἷς ἡ τρίτη προςενεμήθη τῆς καθόδου τῶν ἀποστατῶν ἕνεκα cet.

est ([65]). Quamquam etiam posteriore tempore trium tantum dierum mentio fit. Ita Liv. 45, 3 de anno 586 (168 a. Chr.) habet: *„Ob eas res gestas ductu auspicioque L. Anicii praetoris senatus in* **triduum** *supplicationes decrevit, ut* **Latinae edictae a consule sunt** *in ante quartum et tertium et pridie Idus Novembres."* Sacrificia si non rite peracta vel foeda tempestate turbata erant, **ex decreto Pontificum** (Liv. 40, 45) instaurabantur (Liv. 5, 19), idemque fiebat, quum populus sibi carnem non datam esse querebatur (Liv. 32, 1. 37, 3). **Concipiebantur** h. e. indicebantur feriae Latinae a consulibus, qui antequam in provincias abirent eas in monte Albano celebrare debebant. Liv. 37, 3. 25, 12. Si consul non indictis feriis profectus erat, aegre id patiebantur Romani (Liv. 21, 63. 22, 1), pessimi ominis habentes (Dio Cass. 41, 14. 54, 6). Agebantur diversis temporibus. Ita celebratae a. 542 (212 a. Chr.) ante V. Kal. Mai. (Liv. 25, 12), a. 578 (176) a. III. Id. Sextil. (Liv. 41, 6), a. 586 (168) prid. Kal. April. (Liv. 44, 19 coll. cap. 22). Ciceronis de republica dialogus feriis latinis habitus fingitur **hiberno tempore** (de rep. 1, 9 et 12. 20) per tres dies, in quos singulae partes distributae sunt. Iisdem feriis etiam disputatio de natura deorum habita. Cf. 1, 6.

Iam vero quotiescunque Latinum sacrum rite perpetrabatur, omnes magistratus urbani in Albanum montem proficiscebantur et ne tribuni quidem plebis, quos integrum diem abesse Roma non licebat, remanebant ([66]). Ne igitur urbs sine magistratibus esset, quod mali ominis videbatur esse, praefectus urbi instituebatur ([67]), simulacrum quasi quoddam et imago illius magistratus qui absentibus consulibus urbi praeerat, isque dicebatur **Praefectus Vrbi(s) Feriarum Latinarum**. Cf. Orelli inscriptt. vol. II. p. 46. 3153. 3154 et quae marmora descripta sunt apud Corsin. p. 41. 57. 103. 104 alibi. Quando id primum factum sit non liquet. Sed et per se consentaneum est et Taciti Pomponiique locis probabile fit, huius muneris originem quaerendam esse eo fere tempore, quo vetus praefectura in praeturam transierat. Creabatur quotannis **unus** Praefectus, quem morem Octavianus bis neglexit a. 721 (Dio 49, 42) et 731 (Dio 53, 33), **duobus** iuvenibus munus deferens. Simile quid

---

([65]) Plut. Cam. 42: τῇ δ' ὑστεραίᾳ συνελθόντες ἐψηφίσαντο τῆς μὲν ὁμονοίας ἱερόν, ὥσπερ ηὔξατο ὁ Κάμιλλος, εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἄποπτον ἐπὶ τοῖς γεγενημένοις ἱδρύσασθαι, ταῖς δὲ καλουμέναις Λατίναις μίαν ἡμέραν προςθέντας ἑορτάζειν τέσσαρας cet.

([66]) Dionys. 8, 87: περιγέγραπται γὰρ αὐτῶν [sc. δημάρχων] τὸ κράτος τοῖς τείχεσι καὶ οὐδ' ἀπαυλισθῆναι τῆς πόλεως αὐτοῖς θέμις ὅτι μὴ πρὸς ἕνα καιρόν, ἐν ᾧ πᾶσαι θύουσιν αἱ τῆς πόλεως ἀρχαὶ κοινὴν ὑπὲρ τοῦ Λατίνων ἔθνους τῷ Διὶ θυσίαν ἐπὶ τὸ Ἀλβανῶν ὄρος ἀναβαίνουσαι. Gell. 3, 2.

([67]) Strabo 5, p. 129: Ἐνταῦθα [ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει] Ῥωμαῖοι σὺν τοῖς Λατίνοις Διὶ θύουσιν, ἅπασα ἡ συναρχία ἀθροισθεῖσα· τῇ πόλει δ' ἐφίστησιν ἄρχοντα πρὸς τὸν τῆς θυσίας χρόνον τῶν γνωρίμων τινὰ νέων. Pompon. in Digest. l. v. supra p. 9. Tac. ann. 6, 11: *„duratque simulacrum, quotiens ob ferias Latinas praeficitur, qui consulare munus usurpet."*

acciderat a. 710, quo plures fuere praefecti, alter ab altero lecti (68). Augustus a. 736 (18) sanxit, ut **unus** tantum in posterum praefectus esset feriarum caussa (69). Anno 733 nullus creatus est (70). Idem annis 705 (71) et 719 (72) acciderat, quibus tamen praetores eorum partibus functi esse narrantur. In usu fuit hic magistratus etiam sub imperatoribus, ut et marmora docent et scriptorum loci. V. quos collegit Drackenb. p. 25. Inter alios eum gesserunt Drusus, Germanici filius (Tac. annal. 4, 36), Nero (Suet. 7), Antoninus philosophus a Pio iam adoptatus et in spem imperii assumptus (Capitolin. Ant. Phil. 4). In Orell. inscriptt. n. 890 memoratur M. Antonius Antius Lupus, **Praef. Fer. Lat.**, quem a Commodo interemptum scimus (Lamprid. 7), ita ut saltem ad huius tempora conservatum sit praefecturae simulacrum. Posterioris aetatis vestigium est in marmore, quod ad a. 200 de coniectura refert Corsini p. 102. Munia praefectorum, qui inter ferias creabantur, aut nulla erant aut perexigua. Cogitandi sunt mali ominis devitandi caussa electi esse, vicarium omnium magistratuum qui abessent simulacrum, quo esse magistratus esse potestates ostenderetur. Etsi minor novae huic praefecturae dignitas erat quam vetustiori, nam per paucos tantum dies durabat et natu minores ea fungebantur, nobiles iuvenes (Gell. 14, 8), quin etiam pueri (73), tamen necessaria erat, ne perpetuum imperium interrumperetur vel turbaretur. Nec prorsus officiis eos credibile caruisse, quum praetores eorum vicarii fuisse perhibeantur a. 705 et 719, ut antea vidimus. Quin etiam leviorum certe caussarum iudices fuisse videntur, et sive dicis caussa sive serio absentis praefecti urbis vice functi esse. Tac. annal. 4, 36: „*Ceterum*, inquit, *postulandis reis tam continuus annus fuit, ut feriarum Latinarum diebus praefectum urbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium. quod a Caesare palam increpitum caussa exilii Salviano fuit.*" Clarior rei lux affunditur Suetonii loco, quo de Nerone haec habet cap. 7.: „*Auspicatus est et iurisdictionem praefectus urbis sacro Latinarum, celeberrimis patronis non translatitias ut assolet et breves sed maximas plurimasque postulationes cer-*

(68) Dio Cass. 43, 48: πολίαρχός τε τις ἐν ταῖς ἀνοχαῖς καταστὰς ἕτερον αὐτὸς τῆς ὑστεραίας ἀνθείλετο, καὶ ἐκεῖνος ἄλλον· ὃ μήτε πρότερον μήθ' ὕστερόν ποτε ἐγένετο.

(69) Dio 54, 17: τόν τε πολίαρχον τὸν ἐς τὰς ἀνοχὰς καθιστάμενον ἕνα ἀεὶ αἱρεῖσθαι [διενομοθέτει].

(70) Dio 54, 6: ταραχῆς δέ τινος περὶ τὴν τοῦ πολιάρχου, τοῦ διὰ τὰς ἀνοχὰς αἱρουμένου, χειροτονίαν συμβάσης, οὐκ ἐπεκράτησεν αὐτῆς, ἀλλὰ ἄνευ τῆς ἀρχῆς ταύτης τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον διεγένοιτο.

(71) Dio 41, 14: καὶ πολίαρχος οὐδεὶς ἐς τὰς ἀνοχάς, ὥσπερ εἴθιστο, ᾑρέθη, ἀλλ' οἱ στρατηγοὶ πάντα τὰ ἐπιβάλλοντα αὐτῷ (ὥς γε τισὶ δοκεῖ) διῴκησαν· ἕτεροι γὰρ ἐν τῷ ὑστέρῳ ἔτει φασὶν αὐτοὺς τοῦτο ποιῆσαι·

(72) Dio 49, 16: οὔτε πολίαρχος ἐς τὰς ἀνοχὰς ἀπεδείχθη, ἀλλ' ἐκ τῶν στρατηγῶν τινες τὰ ἐπιβάλλοντα αὐτῷ διήγαγον.

(73) Dio Cass. 49, 42: ἔν τε ταῖς ἀνοχαῖς αἱρετοὶ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος πολίαρχοι, παῖδες ἄνηβοι, ἐξ ἱππέων ἀλλ' οὐκ ἐκ βουλευτῶν γεγονότες, ἦρξαν. Idem 53, 33: κἀν ταῖς ἀνοχαῖς δύο καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπολιάρχησαν, καὶ εἷς γέ τις αὐτῶν οὐδ' ἐς μειράκιόν πω τελῶν ὅμως ἦρξεν.

tatim ingerentibus, quamvis interdictum a Claudio esset." Hinc enim apparet morem fuisse, ut Ernest. ad h. l. annotavit, apud hos Praefectos tantum ea postulare, in quibus brevis et expedita ratio respondendi esset, ut hereditatis legitimae et non controversae possessionem et similia, idque vulgares patronos fecisse. In Neronis praefectura autem honoris caussa et ambitionis magnos patronos res maximas postulasse, in quibus cognitione et scientia opus esset. Num senatum habere potuerit praefectus Feriarum, ipsis Romanis non constabat. Ius ei fuisse convocandi Marci Varronis et Atteii Capitonis probat testimoniis Gell. noct. Att. 15, 8. Sed vix fieri potuit, ut in re gravi continuo senatusconsulto prius opus fuerit quam reditu magistratuum. Nunquam igitur eo iure quemquam usum esse credibile est.

Jahresbericht

von Michaelis 1849 bis Michaelis 1850.

Die Lehrverfassung

hat weder im Allgemeinen noch im Einzelnen irgend eine erhebliche Veränderung erfahren. Auch die Pensen sind unverändert geblieben, und glaube ich mich daher der Angabe derselben überheben zu können. Auch im

Lehrerpersonale

hat sich eine wesentliche Veränderung nicht zugetragen. Der bis gegen Ende des vorigen Schuljahrs von dem Lehrer Asmus ertheilte Unterricht im freien Handzeichnen wurde mit dem Anfange dieses Jahres Herrn Busch übertragen. Zu unserem innigen Bedauern ist aber auch dieser seit Anfang Juni d. J. schwer erkrankt; sein Unterricht ist vorläufig und bis zur Genesung des Herrn Busch dem Maler Herrn Bellermann übertragen worden. Die bis Johannis v. J. von Herrn Beust verwaltete Adjuncten-Stelle, welche interimistisch dem Herrn Dr. Nitzsch übertragen war, ist nunmehr, nach erfolgter Anstellung Herrn Beust's am hiesigen Friedrich-Wilhelms-Gymnasio, Herrn Dr. Nitzsch definitiv übertragen worden. Mit der Ableistung ihres pädagogischen Probejahrs waren bis Anfang November v. J. Herr Wentrup, bis Ostern Herr Bauermeister, seit Ostern Herr Dr. von Velsen, und während des ganzen Schuljahrs die Herren Born und Händler beschäftigt.

Schüler.

Die Schülerzahl beträgt gegenwärtig 360, von welchen 120 die Anstalt als Alumnen, 4 als Pensionäre des Alumnats, die übrigen als Hospiten besuchen. Von diesen 360 Schülern sitzen 36 in Prima, 37 in Ober-Secunda, 48 in Unter-Secunda, 57 in Ober-Tertia, 64 in Unter-Tertia (2 Cötus), 56 in Quarta, 38 in Ober-Quinta, 24 in Unter-Quinta Aufgenommen wurden 112, abgegangen sind 86.

Zur Universität sind mit dem Zeugnifs der Reife entlassen worden:

a) zu Michaelis voriges Jahres: 1) Albert Blankenburg aus Uckermünde, evangelischer Confession, $18\frac{3}{4}$ Jahr alt, $4\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Theologie in Berlin. — 2) Heinrich Hoffmann aus Königswalde, evangelischer Confession, 18 Jahr alt, $6\frac{1}{2}$ Jahr Hospes, 2 Jahr in Prima, studirt Jura in Halle. — 3) August Senkel aus Mertensdorf bei Putlitz, evangelischer Confession, 19 Jahr

alt, $2\frac{1}{2}$ Jahr Hospes und 6 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Theologie in Halle. — 4) Carl Schultz aus Perleberg, evangelischer Confession, 20 Jahr alt, $5\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Medicin in Berlin. — 5) Gustav Bossart aus Luckenwalde, evangelischer Confession, $20\frac{1}{2}$ Jahr alt, $\frac{1}{2}$ Jahr Hospes und 6 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Jura in Berlin. — 6) Friedrich Mahlo aus Berlin, evangelischer Confession, $20\frac{1}{2}$ Jahr alt, $3\frac{1}{2}$ Jahr Hospes und $5\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Medicin und Chirurgie in Berlin. — 7) Albert Lütkemüller aus Wölsikendorf bei Freienwalde a. O., evangelischer Confession, $20\frac{1}{2}$ Jahr alt, $3\frac{1}{4}$ Jahr Hospes und $4\frac{1}{4}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Medicin und Chirurgie in Berlin.

b) zu Ostern dieses Jahres: 1) Carl Witte aus Genthin, evangelischer Confession, $18\frac{1}{2}$ Jahr alt, $1\frac{1}{2}$ Jahr Hospes und 4 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Jura in Bonn. — 2) Moritz Herrmann aus Schwerin a. W., jüdischer Religion, $18\frac{1}{2}$ Jahr alt, $5\frac{1}{2}$ Jahr Hospes, 2 Jahr in Prima, studirt Jura und Cameralia in Berlin. — 3) Wilhelm Gründler aus Seehausen bei Prenzlau, evangelischer Confession, $16\frac{3}{4}$ Jahr alt, $4\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Theologie in Berlin. — 4) Georg Nobiling aus Berlin, evangelischer Confession, 17 Jahr alt, $4\frac{1}{2}$ Jahr Hospes, 2 Jahr in Prima, studirt Geschichte in Breslau. — 5) Wilhelm Theodor Paul aus Müncheberg, evangelischer Confession, $18\frac{1}{4}$ Jahr alt, $\frac{1}{2}$ Jahr Hospes, 2 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Theologie und Philologie in Berlin und Halle. — 6) Traugott Julius Tauscher aus Wellersdorf bei Sorau in der Niederlausitz, evangelischer Confession, 19 Jahr alt, $5\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Theologie in Berlin. — 7) Wilhelm Theodor Richter aus Langenlipsdorf bei Jüterbogk, evangelischer Confession, $19\frac{3}{4}$ Jahr alt, 2 Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Theologie in Halle und Berlin. — 8) Richard Fahrenholtz aus Rathenow, evangelischer Confession, $18\frac{1}{2}$ Jahr alt, $4\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Jura in Berlin. — 9) Ernst Wilhelm Lendel aus Dahme, evangelischer Confession, $18\frac{3}{4}$ Jahr alt, $\frac{1}{2}$ Jahr Hospes und $5\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus, 2 Jahr in Prima, studirt Jura in Berlin. — 10) Tobias Moses Cohn aus Hammerstein in Westpreufsen, jüdischer Religion, 22 Jahr alt, $3\frac{1}{2}$ Jahr Hospes, 2 Jahr in Prima, studirt jüdische Theologie in Berlin. — 11) Gabriel Fabian Feilchenfeld aus Schlichtingsheim bei Glogau, jüdischer Religion, 22 Jahr alt, 3 Jahr Hospes, $1\frac{1}{2}$ Jahr in Prima, studirt Philosophie in Berlin.

Anderweitiges.

Von anderweitigen Ereignissen im Kreise unsrer Anstalt gedenken wir zunächst der Geburtstagsfeier Sr. Majestät des Königs, welche in hergebrachter Weise durch Rede, Gesang und festliche Speisung der Zöglinge der Anstalt am 15. October

begangen wurde. Die Festrede, von dem Adjunct Herrn Planer gehalten, sprach über die Verdienste des Hohenzollerschen Fürstenhauses um die Ausbreitung der Reformation und deren Einführung in der Mark Brandenburg, mit besonderer Berücksichtigung der Regierung des Kurfürsten Joachim Friedrich, des Gründers unsrer Anstalt. In ähnlicher Weise wie der Königliche Geburtstag wurde am 24. Juni das Dankfest für die Genesung Sr. Majestät des Königs begangen. Herr Professor Jacobs, welcher die Festrede hielt, suchte die wahre Bedeutung des das Dankfest veranlassenden Ereignisses in seinem eigentlichen Grunde und inneren Zusammenhange mit der Zeitrichtung nachzuweisen, und forderte es als eine heilige Pflicht Aller, besonders aber der dieser Schule Angehörigen, den Dank für die göttliche Hülfe nicht blos auszusprechen, sondern auch durch unverbrüchliche Treue zu bethätigen, und so die grofse allgemeine Schuld sühnen zu helfen.

Im Anfange des November wurden die von dem hiesigen Magistrat uns überschickten Denkmünzen zur Erinnerung an die Einführung der Reformation an einige Schüler der obern Klassen vertheilt.

In den beiden ersten Wochen dieses Jahres hielt der Geheime Oberregierungsrath Herr Dr. Kortüm im Auftrage Sr. Excellenz des Herrn Ministers von Ladenberg eine Revision des Gymnasii. Zu diesem Ende besuchte Herr Kortüm wiederholt die Lectionen der ordentlichen Lehrer der Anstalt, nahm die Örtlichkeiten des Gymnasii in Augenschein, unterrichtete sich genau von der Organisation des Alumnats, und betheiligte sich zuletzt bei einer Conferenz des sämmtlichen Lehrer-Collegii.

Am 11. Mai und 4. Juni vollzog der Director im Auftrage des Königl. Provinzial-Schul-Collegii die Vereidigung der ordentlichen Lehrer sowie der technischen Hülfslehrer der Anstalt auf die Verfassung.

Verschiedene Umstände machten es wünschenswerth, an die Stelle des sonntäglichen Kirchenbesuchs der Alumnen für die Wintermonate einen Hausgottesdienst treten zu lassen. Die Herren Prediger Jonas und Heintz, beide selbst ehemals Zöglinge der Anstalt, hatten die Güte die Abhaltung desselben zu übernehmen, und so ist im December voriges und im Januar und Februar dieses Jahres von den Alumnen und den Lehrerfamilien die Sonntagsfeier durch Gesang, kirchliche Liturgie und Predigt, und wir hoffen nicht ohne Segen, im Hörsaal des Gymnasii begangen worden. Die Abendmahlfeier fand am 9. Juni statt.

Verordnungen.

Von den Verordnungen und sonstigen Rescripten, welche uns im Laufe dieses Jahrs durch das Königliche Provinzial-Schul-Collegium zugegangen sind, heben wir folgende hervor. 1) Vom 5. April. Mittheilung des Ministerial-Rescripts

vom 19. März in Betreff der stattgehabten Revision des Joachimsthalschen Gymnasii. 2) Vom 1. Mai. Mifsbrauch des Vereinigungsrechts von Seiten der öffentlichen Lehrer betreffend. 3) Vom 7. August. Die bei der Vereidigung der Lehrer übliche Eidesformel soll hinfort durch den Zusatz, dafs der betreffende Lehrer die Verfassung gewissenhaft beobachten wolle, erweitert werden.

Lehrapparat.

Die Bibliotheken des Gymnasiums erhielten aus den feststehenden Fonds (jährlich 300 Rthlr.) mehrfache Bereicherungen. Aufserdem erhielten wir an Geschenken von dem Hohen Ministerium Berghaus Physisch-hydrographische Karten 10 Stück, Matile Monuments de l'histoire de Neuchatel livr. 3, und Lepsius Denkmäler aus Ägypten und Äthiopien Abth. I. Lieferung 1 bis 4. Ferner Dove's Erläuterungen zu den Monatsisothermen nebst Karten vom Hrn. Verfasser, und Seyffert's Übungsbuch zum Übersetzen aus dem Deutschen in das Lateinische für Secunda, sowie desselben Epistola critica ad Carolum Halmium de Ciceronis pro P. Sulla et pro P. Sestio orationibus, gleichfalls von dem Herrn Verfasser. Endlich Vasari's Leben der ausgezeichnetsten Maler u. s. w. aus dem Italienischen von E. Förster Band 6. von Herrn Professor Passow. Für alle diese Gaben spricht hiermit die Anstalt ihren Dank aus.

Der physicalische Apparat ist durch einen Logeman'schen Magneten von 100 Pfund Tragkraft, durch ein Interferenzprisma, durch eine Vorrichtung für Longitudinalschwingungen hölzerner Stäbe und durch mehrere andere kleinere Instrumente vermehrt worden.

Unterstützungen.

Aufser den bedeutenden, mit dem Genufs des Alumnats verbundenen Benefizien wurden im verwichenen Jahre an Unterstützungen für die Schulzeit 575 Rthlr. und an Stipendien für Studirende gegen 2500 Rthlr. gezahlt. Überdiefs erhielten durchschnittlich 25 Hospiten freien Unterricht.

Die diesjährige Prüfung

wird Sonnabend am 28. September in nachstehender Ordnung gehalten werden:

Vormittags von 8½ Uhr an: Gesang für vier Männerstimmen, unter Leitung des Hrn. Musik-Direktors Dr. Hahn. Ober-Tertia: Latein Herr Oberlehrer Dr. Giesebrecht, Griechisch Herr Adjunkt Rehdantz. Unter-Secunda: Latein Herr Professor Jacobs, Geschichte Herr Oberlehrer Dr. Giesebrecht. Ober-Secunda: Mathematik Herr Professor Conrad, Latein Herr Professor Seyffert.

Gesang, der 95. Psalm; gemischter Chor. Deutsche Rede des Abiturienten Schlomka. Prima Coet. I.: Latein Herr Professor Mützell, deutsche Literatur-Geschichte Herr Professor Wiese. Prima Coet. II.: Griechisch Herr Professor Passow. Lateinische Rede des Abiturienten Angern. Entlassung der Abiturienten. Gesang für vier Männerstimmen.

Nachmittags von $2\frac{1}{2}$ Uhr an: Quinta II.: Latein Herr Adjunct Dr. Planer. Quinta I.: Latein Herr Adjunct Dr. Kirchhoff. Quarta: Griechisch Herr Professor Mützell. Unter-Tertia: Latein Herr Oberlehrer Schmidt, Geographie Herr Adjunct Dr. Nitzsch.

Zu dieser Schulfeier beehre ich mich des Ministers Herrn von Ladenberg Excellenz, die Herren Räthe des Hohen Ministerii der Unterrichts-Angelegenheiten und des Hochlöblichen Provinzial-Schul-Collegii, sowie alle Freunde der Anstalt ehrerbietigst einzuladen.

Der Unterricht des Winterhalbjahrs beginnt am 14. October. Zur Aufnahme neuer Schüler bin ich vom 7. bis 12. October in den Vormittagsstunden von 10 bis 1 Uhr bereit.


Berlin, den 15. September 1850.

Director Dr. Meineke.























LAW LIBRARY
University of Michigan
3 5112 104 131 919


3 5112


LAW LIBRARY
University of Michigan
3 5112 104 131 919



